UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

Vindalium, 1646

urn:nbn:de:hbz:466:1-38742

Visual Library

Th
30

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 430.

D. 1
14.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HERMES THEOLOGICVS,

Idest

Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa.

ET

In octo Partes, vt accommodatior sit ordini summæ Thomisticæ distincta, quas sequens pagina indicabit.

Pars I. De Deo Vno, & Trino.

Editio Secunda.

Per R. P. G. F. T. I.
Collegii Soc. Jesu Paderbornæ

VINDALII,
Apud ED. BARNA.
M. DC. XLVI.
Cum permissu.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.

QVAMVIS non nisi cum Diuinæ Majestatis injuriâ ipsius naturam nobis inuestigare liceat, (Sanctissime Pater) gloriosus ille tamen error, qui Dei potius immensitatem, quàm hominis imbecillitatem arguit. Si perfectissimam Dei cognitionem hæc Theologiæ synopsis affunderet, malè de ipso Deo mereretur, utpote cum probaret non esse. Per humanæ mentis caliginem longè liberaliori luce vibrat Deus, nec enim vacaret defectu, si majestatis vacaret inuolucro;

meras in Deo tenebras esse Theologia nostra euinceret, si absque tenebris illum exhiberet. Quoniam tamen in hac salutari cognitione omnino rudibus nobis esse non licet, idem planè quod ijs, qui de solis naturâ laborant euenit, qui ut ne tantum lumen eorum oculis tenebras offundat, reflexis radijs abutuntur. Nec aliter nos in rebus creatis, velut in speculo aliquantulam Diuinæ Majestatis cognitionem delibamus. Et quoniam duplici nomine, dignitatis scilicet, ac singularis illius sanctimoniæ, qua augustissimam appellationem tua implet sanctitas, ipsa Dei perfectissima est imago, quidquid fermè hoc libello continetur à

dili-

diligenti virtutũ ipsius contemplatione fuit eruendum. Næ igitur ego injustus, si riuulum fonti non referrem acceptum, consecraremq; alteri, quod à tua sanctitate fuit depromptum, maximè cum nihil non suspectum de ipso Deo afferri potest, nisi firmissimâ ipsius stet authoritate. Quamvis tamen opusculũ istud nominibus innumeris tuæ sanctitati sacrum non esset, quî meum erga ipsam obsequium pateretur, ut quando tandẽ aliquid ex argumenti majestate, ipsâ dignum prælo meo cõmissum fuit, eâ opportunitate non abuterer, quò euincerẽ, nihil vnquam mihi fore antiquius, quàm clientelare obsequium, quod publicis nunc typis profiteor. Vive, & fave.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Doctorum.

EGo infra ſcriptus Theologus Societatis IESV Hermetem hunc Theologicum diligenter expendi, in quo cum germana tantùm Diui Thomæ doctrina deprehendatur, ad communem omnium utilitatem dignum typis cenſui. Coloniæ primo Martij 1639.

Theodorus Purceſins.

EGo infra ſcriptus Theologus Societatis IESV, fidem facio me ſedulò Theologicum hunc Hermetem legiſſe, in quo nihil niſi germanæ doctrinæ congruum reperitur, atque ideo dignum prælo cenſui. Leodij 20. Aprilis 1639.

Ioannes Lenſchallus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Elenchus tractatuum, quos Hermes iste expendit.

PARS I.

De Deo Vno, & Trino.

PARS II.

De Angelis, actibus humanis, & legibus.

PARS III.

De peccatis, & gratiâ.

PARS IV.

De fide, spe, charitate, &c.

PARS V.

De Iustitia, & contractibus.

PARS VI.

De Incarnatione.

PARS VII.

De Sacramentis vniuersim Confirmat. & Eucharistiâ.

PARS VIII.

De Pœnitentiâ, & reliquis Sacramentis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TRACTATVS DE DEO VNO ET TRINO EXACTISSIMVS.

PROLVSORIA SEQVENTIBVS tractatibus Theologicis disputatio de Naturâ Theologiæ.

SECTIO I.

Totius Theologiæ Synopsis lectori studioso necessaria.

CVM dicturi simus obiectum Theologiæ primarium esse Deum; & rationem formalē quæ esse ipsam Deitatem; rationem verò formalem sub qua esse discursum ex reuelatis; necessarium est in gratiam de Deo.

lectoris, hîc proponere seriem & ordinem Theologiæ, ex quo dispiciet facilè, quomodo ea per se & primariò ad Deum referatur.

Itaque Deus potest primò spectari vel in ordine ad se, vel in ordine ad creaturas. In ordine ad se duobus modis; primò quatenus etiam lumine naturali & non tantum supernaturali eius attributa innotescunt; & sic disputatur de Deo vno, de eius existentiâ attributis, visione, volitione, Dei prædestinatione, reprobatione.

2. Quatenus attingi nequit nisi lumine supernaturali, & talis est Deus vt Trinus, reuelatione enim tantum processiones diuinæ, Relationes, Hypostases & circum insessiones diuinæ à nobis cognoscuntur.

Præterea Deus considerari potest in ordine ad creaturas vt earum Creator, ideóque post tractatum de Deo vno sequitur disputatio de Angelis, de anima rationali de sex dierum opificio.

Rursus Deus potest expendi vt vltimus finis & creaturarum intellectiuarum beatitudo, vt consideratur in 1. 2. vbi agitur de medijs ad eam beatitudinem comparandam necessariis quales sunt actus humani & liberi.

Quæ causa etiam est cur Theologus agat de legibus & de peccato, quod nos a summi boni adeptione excludit.

Disputat de medijs ad eandem fœlicitatem adipiscendam necessarijs, inter quæ est gratia actualis, & habitualis; virtutes, Theologicæ Fides, spes, Charitas; & Morales Religio, Iustitia, &c.

Deinde obiici potest Deus vt lapsæ naturæ vindex & salutis humanæ assertor, vt fit in 3. p. vbi instituuntur disputationes de incarnatione, &c.

De instrumentis quibus vtitur Christus ad hominum salutem procurandã, qualia sunt Sacramenta, de quibus copiosè in 3. parte cum de Sacramentis in genere, & in specie, &c.

Ab vltimum Deus cognosci potest vt naturæ rationalis à se conditæ remunerator, & vltor, essentque quæstiones instituendæ de Paradiso, inferis, Resurrectione, de quibus Theologi sparsim agunt in partibus enumeratis.

SECTIO II.

An Ecclesiæ, & saluti necessaria sit Theologia.

CONCLVSIO I.

NOn tantum assensus fidei, sed præterea aliquis assensus Theologicus adultis est simpliciter necessarius.

Prima pars quoad necessitatẽ fidei, est apud omnes certa, ex D. Paulo ad Heb. 11. & probabitur in materiâ de fide.

2. Pars Probatur. Quia adultus si diu viuat debet actiones & intentiones suas ad vltimum finem supernaturalem ordinare vt saluetur; at qui hæc destinatio fieri nequit sine aliquo discursu & assensu Theologico, deducto ex principiis fidei, atque adeò sæpe sine multis eiusmodi assensibus, ergo neque adultus potest sine iis saluari. Maior est certa, quia saluandus si adultus sit & diu viuat, debet ad Deum aliquas actiones suas & intentiones referre. Minor probatur experientiâ continuâ, & præterea ratione.

Nisi enim quisque ex principiis fidei inferat quid sibi hîc & nunc sit agendum; quo modo tentationibus resistendum, quando orandum, quid omittendum. quid faciendum, & similia, nunquam consentaneè ad finem suum consequendum operabitur. Quod probatur, quia singularia quæ spectant ad actiones huius vel illius non sunt nobis immediatè reuelata, sed debent ex Principiis reuelatis deduci, in quibus inferendis discursus Theologicus occupatur;& quidem multæ ex his conclusionibus Theologicis etiam imperitis & rudioribus in expedito sunt,& in promtu; ad alias verò eliciendas plus ingenij, eruditionisque desideratur; sunt que præterea doctiores consulendi, ergo præter fidem multi assensus Theologici & consequenter doctrina Theologica modo explicato desideratur.

CONCLVSIO II. Theologia etiam vt à fide distinguitur & significat scientiam proprio studio & labore comparatam ex fidei principiis inferendo; semper fuit, & est hodie necessaria ad Ecclesiæ conseruationem, spectatâ ordinariâ Dei prouidentia.

CONCLVSIO Est contra Hæreticos qui non minus vesanè quam

fraudulenter contendunt Theologiam Ecclesiæ esse noxiam, ne scilicet eorum errores Theologorũ rationibus aperiãtur, & profligentur, vide molinam hic disput. 2. Arrubal. c. 2. 3. 4. 5. Valenti. pu. 2 Vasq. Gillium lib. 1. Tracta. 1. a. cap. 2.

Probatur quia fides necessaria est ad Ecclesiæ statum & conseruationem, ergo etiam Theologia. Probatur consequentia, quia non tantum extra Ecclesiam, sed etiam intra multi sæpè existunt corruptissimis moribus, qui fidem oppugnant, & errores serunt & alij boni, qui rationem dictorum exigunt, præterea multæ difficultates circa res ipsas reuelatas existere possunt, non enim omnia Deus explicitè reuelauit, nec consentaneum iudicauit de nouo quotidie reuelare; ergo vt his omnibus incommodis occurratur, Theologiæ disciplina necessaria est, vt diutiùs fides ab erroribus intracta conseruetur lege Granadum, Fasolum, Zumel, & imprimis eruditum ad subtilem P. Ioseph. August. Panorm. in Comment. in 1. partim. recens excusis. Deinde cum res fidei captum humanum longè excedant, debent illustrari, & defendi ope Theologiæ, vt intellectus iis firmiter assentiatur: Eo vel

maximè, quia assensus fidei debet esse prudens, qualis non esset, si homo rebus obscurissimis, & difficilimis assensum præberet, antequam ipsi sufficienter essent explicatè, & variis rationibus confirmatæ.

Vt autem hæc omnia commodiùs intelligantur proderit notanda quædam subtexere, Nota 1. Theologiam scholasticam non extitisse ante Magistri tempora, quoad methodum, & ordinem quo traditur in scholis; qua ratione non est necessaria ad salutem, licèt sit valdè vtilis: extitisse tamen quoad suam substantiam, seu quatenus est habitus scientificus varias conclusiones ex reuelatis deducens, quo sensu dicimus eam ad salutem esse necessariam.

Nota 2 Non omnes qui saluantur esse Theologos, eos tamen non saluari sine ope Theolologiæ; quæ proinde etsi non sit necessaria in singulis, est tamen necessaria pro singulis, saltem vt plurimum, & spectata via ordinaria qua fides in adultis gigni, & augeri solet.

Dico vt plurimum, nam interdum contingere potest, vt quis extraornariè, viso, verbi causa aliquo insigni miraculo, tam efficaciter à Deo moueatur, tãtaque luce perfundatur, vt sine alia de-

claratione, aut probatione Myſteriorum fidei, iis propoſitis ſtatim aſſentiatur.

SECTIO III.

An ſit Sapientia.

CONCLVSIO VNICA.

THeologia noſtra meretur propriè nomen ſapientiæ.) Ratio eſt, quia conditiones veræ ſapientiæ illi competunt, agit enim de rebus propè infinitis, quæ ſub reuelationem cadunt; conſiderat res difficillimas & à ſenſu remotiſſimas; multo maiorem habet certitudinem quam ſcientiæ naturales; verſatur circa cauſas vniuerſaliſſimas rerũ omnium, & per illas iudicat de inferioribus ſcientiis, eaſque dirigit ad veritatem: ac denique ipſa non ordinatur ad alias, quin potiùs aliæ debent ad eam ordinari, vt illi famulentur, & ab ea corrigantur.

Neque refert, quod in vulgari diuiſione habituum intellectualium, ſapientia ponatur vt habitus à ſcientia diſtinctus: nam duobus modis poteſt aliquid

distingui ab alio, nempe per exclusionem, aut per maiorem inclusionem. At sapientia distinguitur à scientia hoc posteriori modo, quatenus illam includit, & aliquid aliud: vel dic, in illa enumeratione habituum sapientiam distingui à scientia, prout hæc sumitur pro habitu conclusionum spectantium ad scientias inferiores.

Neque etiam refert, quod Theologia varias propositiones mutuetur à scientiis naturalibus; id enim non impedit, quin vera sit sapientia, quia eiusmodi propositiones non sumit ab illis vt à superioribus, sed potiùs tanquam ab inferioribus, & ancillis, quibus vtitur propter defectum intellectus nostri, vt scilicet per ea quæ sunt nota lumine naturali, faciliùs euehatur ad cognitionem supernaturalium, quæ in hac scientia tradũtur, vt S. Doctor obseruat. 1. p. q. 1. art. 3. ad 2.

Accedit quod Theologia ita vtitur propositionibus philosophicis, vt de iis iudicet, neque eas admittat, nisi quatenus nouit suis principiis esse consentaneas. Vnde respuit illud. Accidentis esse est inesse; quia ex eo sequeretur, in Eucharistia, post consecrationem, accidentia panis, & vini non esse sine

ſubiecto; quod repugnat fidei, & ſic de aliis.

SECTIO IV.

An ſit ſcientia & ſcientijs naturalibus præſtet.

CONCLVSIO I.

THeologia non incongruè dici poteſt ſcientia propria.) Ratio eſt, tum quia Theologia non poteſt commodè reduci ad vllum alium habitum intellectuũ, quàm ad ſcientiam, vt conſideranti patebit, tum quia cognitio diſcurſiua, habens omnimodam certitudinem, meritò ſcientia vera & propria dici poteſt, etſi non habeat euidentiam: ideò enim Philoſophi requirunt euidentiam in ſcientiis naturalibus, quia nulla cognitio naturalis poteſt eſſe certa, niſi ſit euidens; atqui Theologia eſt cognitio diſcurſiua, eaque certiſſima, vtpote innixa principiis fidei: ergo eſt verè, & propriè ſcientia, eſto non ſit euidens.

Nota Theologiam defectu euidẽtiæ, non habere quidquid Philoſophi com-

muniter exigunt ad veram rationem ſcientiæ. Quod enim dicunt aliqui eã habere euidentiam conſequentiæ, non ſufficit, quia Philoſophi præterea exigunt euidentiam conſequentis, quæ hic deeſt; neque etiam placet quod alij dicunt, veritates Theologicas clarè percipi per lumen aliquod medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei: hoc enim repugnant manifeſtæ experientiæ, qua docemur, veritates illas ſemper in hoc vitæ ſtatu manere obſcuras. Nego tamen hinc ſequi, Theologiam abſolutè loquendo non eſſe propriè ſcientiam; quia ſufficit, quod non minùs certa ſit, quàm ſi eſſet euidentiſſima; niſi tota quæſtio ad voces reducatur.

Neque dicas, certitudinem non ſufficere in hæreticis, ad rationem ſcientiæ Theologicæ, ideóque nec ſufficere in noſtra Theologia: Non enim eſt par ratio, quia certitudo hæreticorum eſt tantum ſubiectiua, ſeu tenens ſe ex parte affectus, cùm eorum Theologia innitatur principiis, fide humana, quæ ex ſe fallibilis eſt, creditis. Noſtra verò certitudo eſt obiectiua, quia fundatur in principiis à Deo reuelatis, & fide diuina creditis. Vnde Theologia hæreticorum non eſt propriè ſcientia, cùm ex

modo aſſentiendi, non repugnet eam eſſe falſam; At Theologia noſtra, ob rationem oppoſitam, non poteſt non eſſe vera: & hoc ſufficit, vt propriè dicatur ſcientia.

Nam quod præterea obiiciunt aliqui, Theologiam agere de ſingularibus, & contingentibus, quæ certa non ſunt, facilè refellitur; quia agit de illis, vt cadunt ſub lumine diuinæ reuelationis, quomodo ſunt certiſſima.

CONCLVSIO II. Theologia vno modo ſpectata eſt vna ſpecie ſcientia, alio minimè.) Et quidem ſi agatur de Theologia adæquatè ſpectata, quatenus complectitur varias concluſiones, quarum aliæ ex duabus præmiſſis de fide, aliæ ex vna præmiſſa de fide, & altera naturali eruuntur, ſic non eſt vna ſpecie ſcientia, ſed multiplex. Siquidem aſſenſus deductus ex duobus principiis fidei, ſpecie diſtinguitur ab aſſenſu deducto ex duabus præmiſſis, quarum alia eſt de fide, alia naturalis: habent enim diuerſa ſpecie motiua, & vnus eſt eſſentialiter certior alio, quare generant habitus ſpecie diſtinctos.

Si verò agatur de Theologia ſtrictiùs, vt procedit duntaxat ex duobus principiis fidei, ſic eſt vna ſpecie ſcien-

tia; illa enim ſcientia eſt ſpecie vna, quæ habet vnum ſpecie motiuum, ſeu rationem aſſentiendi: At Theologia eo modo ſpectata, hoc habet, quia ſuum obiectum conſiderat, quatenus per legitimum diſcurſum deducitur ex reuelatis, & fide diuina creditis. Et hoc eſt quod ait S. Thom. 1. p. q. 1. art. 3. Theologiam eſſe vnam, quia conſiderat omnia vt ſunt diuinitus reuelata; ſcilicet mediatè, quatenus deducuntur ex reuelatis.

Nota, quòd etſi ſcientiæ naturales Adæ collatæ quoad generationem penderent à reuelatione diuina, vt à cauſa efficiente, tamen quoad vſum nullo modo innitebantur reuelationi, vt motiuo aſſentiendi, ſed aliis motiuis particularibus, per quæ inter ſe diſtinguebantur ſpecie.

CONCLVSIO III. Theologia quoad dignitatem præſtat ſcientiis naturalibus, iiſque eſt certior) Prior pars probatur ex triplici capite, primò ex præſtantia materiæ quam tractat: agit enim de Deo Vno, & Trino, de Chriſto, de vltimo fine ſupernaturali creaturæ rationalis, & de mediis eiuſdem ordinis, quibus po-

test comparari: quæ & similia à scientiis naturalibus non tractantur. Secundò, ex principiis supernaturalibus quibus innititur: argumentatur enim ex articulis fidei à Deo reuelatis; aliæ verò scientiæ fundantur in principiis naturalibus. Tertiò, ex lumine supernaturali, & infuso quo acquiritur: cum tamen scientiæ philosophicæ per solum lumen naturæ comparentur.

Posterior pars facilè ab omnibus conceditur de Theologia quoad conclusiones quæ euidenter cruuntur ex duabus præmissis da fide: cùm enim conclusio sit certa propter præmissas, ea sanè est certior, quæ habet præmissas certiores. Idem etiam probabilius existimãt aliqui, quoad cõclusiones quæ vni propositioni de fide, & alteri naturali innituntur: illa siquidem conclusio videtur certior ad cuius certitudinem plura concurrunt, vt hîc contingit.

Confirmatur, nam supposita veritate naturali, illius propositionis philosophicæ, omnis homo est risibilis; cùm fides doceat, Christum esse hominem, neque id doceat de Paulo, profectò certius videtur, Christum esse risibilem, quàm Paulum. Verùm ad soluendas obiectiones.

Nota 1. lumen naturale esse à Deo vt à primo causa, & generatim dari vt cognoscamus verum: lumen autem fidei esse etiam a Deo vt à prima veritate, nempe vt eius testimonio assensum præbeamus; quare hoc debet esse certissimum, cùm prima veritas nec falli, nec fallere possit.

Nota 2. quod vulgò dicitur, effectum sequi debiliorem partem suæ causæ, non ita intelligendum esse, vt effectus sit semper imperfectior, debiliori parte suæ causæ; experientia quippe oppositum satis ostendit, cùm mares nascantur ex mare, & fæmina; mulique ex equo, & asina procreantur: sed sensus est, si quis defectus reperitur in effectu, cum in causam debiliorem referendum esse; & sic quod conclusio orta ex vna de fide, & alia naturali, non sit tam certa, quàm quæ procedit ex vtraque de fide, id habet ex præmissa naturali, quæ quoad certitudinem, est pars causæ debilior.

SECTIO V.

An sit speculatiua & practica & subalterna.

CONCLVSIO I.

THeologia est simul speculatiua, & practica, idque formaliter, magis tamen est speculatiua quàm practica.) In primis quod sit speculatiua, patet, quia agit de obiecto non operabili, nempè de Deo, de Christo, de Angelis, aliisque rebus circa quas non nisi cognitio speculatiua versari potest.

Secundò, quod etiam sit practica probatur, quia illa scientia est practica; quæ agit de obiecto operabili, modo operabili: at Theologia agit ex parte de tali obiecto: cùm enim consideret Deum vt finem vltimum, consequenter agit de mediis quibus eiusmodi finem assequi possumus, nempè de virtutibus, & de modo quo earum actus fieri debent, vt sint boni, meritorij in ordine ad vitam æternam.

Tertiò, quòd Theologia sit formali-

ter ſpeculatiua, & practica, probatur, quia producitur per actus, quorum alij ſunt formaliter ſpeculatiui, nimirum illi qui conſiſtunt in mera alicuius veritatis contemplatione; alij formaliter practici, ij videlicet qui aliquid faciendum præſcribunt, ipſamque operationem dirigunt,

Quartò, quòd ſit magis ſpeculatiua quàm practica, ea ratione oſtenditur, quia præſtantiores habet veritates ſpeculatiuas quàm practicas: ſiquidem veritates de Deo vno & Triuo, de Chriſto, de Angelis, de creatione, de prædeſtinatione, & ſimiles longè excedunt veritates practicas, quæ traduntur de actibus virtutum.

Nota quòd ſicut intellectus, etſi vnicus ſit diſtingui ſolet in ſpeculatiuum & practicum; ita Theologia, etſi vnica ſit, poteſt eſſe ſimul ſpeculatiua, & practica. Mitto quòd Theologia adæquatè ſumpta, complectitur varios habitus ſpecie diſtinctos, vt patet ex ſupradictis.

CONCLVSIO II. Theologia noſtra non eſt propriè ſubalternata ſciẽtiæ beatorum.) Ratio eſt, quia ex communi ſententia Philoſophorum, quam hìc ſupponimus, ad ſcientiam propriè

ſubalternatam requiritur primò, vt habeat pro obiecto materiali, partem obiecti ſcieniæ ſubalternantis: at idem eſt obiectum materiale Theologiæ noſtræ, & beatorum, nempè Deus.

Secundò, vt conſideret in obiecto ſuo formalem aliquam rationem particularem, quæ non competat obiecto ſubalternantis; atqui non modo Theologia noſtra, ſed etiam beatorum habet pro obiecto formali Deum, vt Deus eſt.

Tertiò, vt principia ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalternantis; at eadem ſunt principia in Theologia noſtra, ac in ſcientia beatorum, nempè articuli fidei; cum eo, tamen diſcrimine, quòd à beatis clarè videantur, à viatoribus autem obſcurè: quod ſanè ad propriam ſubalternationem non ſufficit.

Quartò, vt ſcientia ſubalternata coniungi poſſit, in eodem intellectu, cum ſubalternante; at Theologia noſtra, cum eſſentialiter ſit obſcura, non poteſt, ſaltem de lege ordinaria, coniungi cum ſcientia beatifica. Neque refert illud Hieronymi epiſt. ad Paulinum. Diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeuerat in cœlis; non enim eſt ſenſus, manſuram in cœlo Theologiam noſtram, ſed tantùm nos ibi habituros claram, &

perfectam cognitionem eorum, que hîc obſcurè percipimus.

CONCLVSIO III. Theologia aliquo ſenſu eſt argumentatiua, alio nequaquam.) Explico; In primis Theogia dici poteſt argumentatiua triplici titulo. 1. quia cùm ſit ſcientia, adcóque diſcurſiua procedit ex ſuis principiis ad varias concluſiones probendas. 2. quatenus etiam ſua paincipia aliquo modo probare poteſt, nempe vel argumentando ad hominem, vt cùm ex veteri teſtamento contra Iudæos oſtendit, Incarnationis myſterium peractum eſſe: vel ſi aduerſarius nullũ fidei principiũ admittat, proponendo varia motiua quibus ſufficienter probatur articulos fidei noſtræ credendos eſſe. 3. quatenus euidenter negatiue, at aiunt, ſoluit argumenta ſuis principiis oppoſita; proponendo videlicet rationem aliquam, qua oſtendit ſe non adeò iis conuinci, qui merito dubitet de eorum veritate.

Non tamen poteſt Theologia ita dici argumentiua, vt ſua principia clare demonſtret eſſe vera: quia non argumentatur niſi vel vtraque præmiſſa de fide, vel ſaltem ex altera; quouis autem ex his modis procedat: ſemper concluſio erit ineuidens. At neque ſic Theologia

est argumentatiua, vt possit soluere euidenter positiue argumenta suis principiis opposita: quia hoc modo ea argumenta soluere, est ostendere eorum falsitatem: non potest autem Theologia euidenter eiusmodi argumentorum falsitatem ostendere, quin euidenter demonstret ipsos fidei articulos, quibus repugnant, esse veros; quod impossibile est, ex iam dictis.

Atque ita, vt res exemplo fiat illustrior, si quis contra mysterium Trinitatis, obiiciat; vbicunque est personarum distinctio, ibi quoque esse naturarum distinctionem; non poterit quidem Theologus euidenter positiue ostendere falsitatem illius propositionis; quia vt hoc posset, deberet euidéter ostendere veritatem istius: non semper ibi est distinctio naturarum, vbi est personarum distinctio, & consequenter: cùm hæc non habeat locum, nisi in Trinitate, deberet euidenter demonstrare, hoc mysterium esse verum; quod impossibile est. Poterit tamen refellere propositionem prædictam, euidenter negatiue: siquidem ea fundatur in quadam inductione rerum creatarum, quæ quot habent hypostases, tot habent naturas numero distinctas; vnde concluditur, idem

dicendum de Deo. At talis consequentia ea ratione negari potest, quia etsi quælibet natura finita & limitata vnico supposito sufficienter terminari possit, non sequitur idem dicendum esse de natura diuina; quia cùm sit infinita, & illimitata potest exigere plura supposita, in quibus subsistat: sicut plura alia, omnium consensu, exigit, quæ nulli creaturæ, quantumuis perfectæ, possunt competere.

Nota, Theologiam non probare quidem euidenter, mysteria fidei nostræ esse vera; cùm illius argumenta non necessitent intellectum nostrum ad assentiendum eiusmodi mysteriis, vt experientia satis ostendit. Probare tamen euidenter, ea esse credibilia; siquidé ex rationibus, seu motiuis fidei, de quibus agetur in Idea Theologiæ Moralis, prudens quisque iudicare debet illa esse vera, & à Deo reuelata.

SECTIO VI.

De obiecto Theologiæ.

CONCLVSIO VNICA.

OBiectum materiale primarium Theologiæ est Deus, ratio formamalis quæ Deitas; ratio verò formalis sub qua, discursus ex reuelatis.) Prima pars probatur, quia Deus principaliter consideratur à Theologia, & gratia sui, cùm ad alia non referatur.

Nota non opus esse quod scientia consideret omnes veritates sui obiecti absolute, sed illas tantùm quæ cùm ipsius lumine proportionem habent. Nulla tamen est veritas diuina, quæ sub reuelationis lumine cadere non possit, & ex qua per legitimum discursum conclusio aliqua deduci nequeat.

Secunda pars ostenditur, quia quæcunque per se tractantur in Theol. reducũtur ad Deũ qua Deus est: vel enim agitur de ipsa Deitate, aliisque ad eam intrinsece spectantibus, vel de rebus quæ ad

Deum vt ſic, tanquam ad ſuum principium & finem referuntur.

Neque dicas Theologiã agere de peccatis, quæ tamen ad Deum vt ad ſuum principium vel finem reduci nequeunt: agit enim de illis tantùm per accidens, quatenus cum per ſe agat de mediis quæ ad Deum ducunt, conſequenter tractat de iis quæ ab illo auertunt.

Tertia pars ſuadetur, quia cum variæ ſcientiæ conſiderent Deum vt Deus eſt, oportet vt quælibet feratur in tale obiectum ſub ſpeciali quadam ratione formali quæ aliis nõ cõpetat, aliàs inter ſe non diſtinguerentur; ſicut ergo Theologia beatorum conſiderat veritates diuinas ſub claro lumine gloriæ, ac proinde ſine vllo diſcurſu: Theologia verò naturalis diſcurrit de Deo ex principiis naturali lumine notis. Ita Theologia Chriſtiana, de qua agimus, variat demonſtrat de Deo prout per legitimum diſcurſum oriuntur ex reuelatis.

SECTIO VLTIMA.

De locis Theologicis.

CONCLVSIO VNICA.

VArij ſunt loci Theologici, qui omnes ad ſex capita facilè reduci poſſunt.) Primus locus ſumitur ab auctoritate Scripturæ Sacræ, quo nomine intelligi ſolet doctrina in noſtris Bibliis contenta, quæque ab Eccleſia proponitur vt canonica. Vt autem intelligas qua ratione Theologus ex hoc loco argumentetur.

Nota 1. Sacram Scripturam duplicem ſenſum habere, nempe hiſtoricum ſeu literalem, & ſpiritualem. Literalis eſt quem verba ſiue propriè, ſiue metaphoricè accepta immediatè ſignificant; ſpiritualis qui ſignificatur per res ipſas verbis ſignificatas. Vnde oritur vulgaris diuiſio ſenſus ſpiritualis in allegoricũ, tropologicum ſeu moralem, & anagogicum: quorum primus ſpectat ad inſtructionem fidei, ſecundus ad inſtitutionem morum, tertius ad ſtatum futuræ vitæ.

Nota

Nota 2. quod etsi Theologus possit efficaciter argumentari, tam ex sensu literali, quam ex spirituali, quando de iis constat: interdum tamen contingit vt firmius petatur argumentum à literali, eo quod faciliùs deprehendi possit.

Secundus locus est ex Traditionibus, seu dogmatibus, quæ non habentur formaliter in Scriptura, sed à Christo, vel eius Apostolis profluxerũt: huius autem loci non minor est vis quàm præcedentis. siquidem doctrina sacra non ideo est certa & infallibilis, quia literis cõsignata est, sed quia est à Deo inspirata; siue alioqui scriptis exaretur, siue viua voce tantùm declaretur. Vt autem intelligatur quænam sit traditio diuina ad fidem spectans, hæc regula obseruanda. Quando Ecclesia recipit tanquam ex fide certam veritatem aliquam in Scriptura minimè contentam, credendum est Apostolos diuinitùs inspiratos talem veritatem Ecclesiæ tradidisse.

Tertius locus est ex decretis Conciliorum Generalium, quæ à summo Pontifice sunt approbata talia enim concilia errare nõ possũt, in rebus siue ad fidem, siue ad vniuersales Ecclesiæ mores spectantibus, vt vel ex eo patet; quod nulla fidelium congregatio meliùs repræsentat Ecclesiam, quàm Concilium Gene-

rale à ſummo Pontifice approbatum. Eccleſia autem cùm ſit columna & firmamentum veritatis, ita regitur à Spiritu ſancto vt errare non poſſit, in iis quæ vel credenda, vel facienda tanquã ad ſalutem neceſſaria, proponit.

Quartus locus eſt ex decretis ſummorum Pontificum, qui in decidendis fidei quæſtionibus errare non poſſunt. Cùm enim Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor, quoad primatum Eccleſiæ, ſequitur eum non poſſe errare in determinandis fidei quæſtionibus; quia aliàs tota Eccleſia poſſet in errorem induci contra expreſſam, & certiſſimam Chriſti promiſſionem. Pontifex tamen vt perſona priuata in fide errare poteſt; ſic enim non dirigit Eccleſiam, ſed tantùm vt illius Paſtor, & Vicarius Chriſti, qua tantum ratione Deus infallibiter ei aſſiſtit, ne in fide errans, alios in errorem inducat.

Quintus locus eſt ex communi Sanctorum Patrum conſenſu: quod enim illi vniuerſaliter circa fidem tradunt, infallibiliter verum eſſe cenſendum eſt. Quia cùm oues ſuorum Paſtorum vocẽ teneantur audire, ſi omnes Patres poſſent errare in fide, poſſet & tota Eccleſia. Ad hunc autem locum poteſt redu-

ci consensus omnium Theologorum, quia cùm in munere docendi fideles, succedant antiquis Doctoribus; si omnes in fide errare possent, sequeretur totam Ecclesiam in errorem labi posse. Vnde non immeritò temeritatis arguũtur, qui in re aliqua grauioris momenti, à communi Scholasticorum sententia, recedunt.

Neque dicas ex Augustino, relato à S. Doctore 1. p. quæst. 1. art. 8. ad 2. exceptis authoribus sacræ Scripturæ, alios omnes ita legendos esse, vt quantumuis doctrina, & sanctitate polleant, non propterea existimetur verum esse, quod ipsi scripserunt. Id enim intelligi debet, de hoc, vel illo Doctore sigillatim, non de omnibus cõiunctim; præsertim quando in re aliqua ad fidem, aut bonos mores spectante, vnanimiter consentiunt.

Sextus locus constat ex ratione naturali, qui vsui esse potest tũ ad ostendendum veritates fidei non aduersari rationi naturali, etsi sint supra illam; tum etiam ad diluenda argumenta quibus fides Catholica ab infidelibus impugnari solet. Ad hunc autem locum reducuntur philosophorum placita, & historia humana; ex quibus interdum Theologia argumenta depromit.

DISPVTATIO PRIMA
DE DEO VNO.

CAPVT I.

An Dei existentia probari possit.

NOta existentiam Dei non tantum identificari cum essentia diuina sed etiam esse de conceptu formali & intrinseco illius.) Prior pars probatur, tum quia essentia diuina est infinitè perfecta, ergo debet includere omnes perfectiones possibiles, ita saltem vt cum iis realiter identificetur: at existere magna est perfectio; tum quia de fide est substantiam diuinam esse omnino simplicem: at non esset omnino simplex, si existentia realiter distingueretur ab essentia illius.

Posterior pars ostenditur. Tum quia Deus, Exodi. 3. Nomen sibi imposuit ab ipsa existentia, cùm dixit, Ego sum qui sum: Solent autem imponi nomina

ad declarandã rei essentiam: vnde cùm Deus seipsum perfectè comprehéderet, eo nomine suam essentiam exprimere voluit. Tum quia aut debet concipi existentiam Dei ipsius essentiæ intrinseca, aut velut ab illa fluens, saltem secundum rationem: at hoc non quia sic deberet essentia Dei priùs secundum rationem existere, vt existentia ab ea flueret. Tum denique quia si existentia non est de conceptu essentiæ diuinæ, oportet vt maneat proprius & quidditatiuus cõceptus essentiæ diuinæ, etiam si eam non concipias actu existentem; quod tamen falsum est, cum sic essentia diuina sit ens merè potentiale, & ab alio ad actualitatem reducibile.

Nota. Patres quando dicunt Deum esse sibi causam essendi, intelligendos esse in sensu negatiuo, vt tantum velint, Deum non esse ab alio, sed ex se habere existentiam. Neque inde colligi debet, existentiam Dei esse veluti proprietatem, ab illius essentia aut realiter, aut virtualiter fluentem.

Dices, illud non est de essentia alterius, quod ab eo per intellectum præscindi potest; at possumus per intellectũ præscindere existẽtiam, ab essentia Dei; quatenus illa se habet per modum ab-

ſtracti, hæc per modum concreti. Reſpõdeo, maiorem eſſe tantum veram, quando præciſio fit ab intellectu, cum fundamento in re: at nullum eſt fundamentum, in ipſa eſſentia diuina, ab ea præſcindendi exiſtentiam: cum, poſita tali præciſione, nihil remaneat, cui ratio eſſentiæ diuinæ competere poſſit, vt oſtẽſum eſt.

CONCLVSIO I. Deum eſſe eſt per ſe notum ſecundũ ſe, non quoad nos.) Prima pars probatur, quia cùm eſſe notum per ſe, idem ſit ac non eſſe notum per aliud, illa propoſitio meritò dicitur per ſe nota ſecundum ſe, cuius prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti; ſiue hoc ad talem propoſitionem neceſſariò requiratur, ſiue non: ea enim ſecundum ſe non indiget vllo aſſenſu priori, cuius vi intellectus ducatur in aſſenſum connexionis prædicati cum ſubiecto per illam ſignificatæ. Atqui eſſe eſt de intrinſeca ratione Dei, ita ſcilicet vt Deus eſſentialiter exiſtat, vt infrà dicemus. Ergo Deum eſſe, ſeu exiſtere, eſt per ſe notum, ſecundum ſe.

Secunda pars oſtenditur, quia illa propoſitio dicitur per ſe nota quoad nos, quæ perſpectis terminis à nemine ne-

gari poteſt: At nonnulli negant exiſtere id quod Dei nomine ſignificare ſolemus, nimirum ens quoddam præſtantiſſimum, à ſe neceſſario exiſtens,& alia omnia producens: id inquam negant Athei qualis erat inſipiens ille qui, vt ait Propheta, Pſam. 13. Dixit in corde ſuo, non eſt Deus. Ergo propoſitio illa Deus eſt,non eſt per ſe nota, quoad nos.

Nota 1. eo ſenſu Patres affirmare notitiam Dei nobis à natura congenitam eſſe, ſiue quia illam à pueritia ex parentum inctructione comparare ſolemus; ſiue quia ſine multo labore ex rerum creatarũ cognitione deduci poteſt.

Nota 2. vt quis aſſentiatur illi propoſitioni,Deus eſt colendus non opus eſſe quod putet Deum eſſe, ſed tantùm illi deberi cultum ex hypotheſi quòd ſit. Quemadmodum etſi probè ſciam parentes eſſe honorandos,non tamen propterea intelligo, an parentes de facto exiſtant, vel non.

CONCLVSIO II. Deum eſſe demonſtrari non poteſt à priori, ſed à poſteriori poteſt)Prima pars probatur,quia id non poteſt demonſtrari à priori, quod non habet cauſam; atqui exiſtentia Dei nullam habet cauſam, ſiue extrinſecam,cùm Deus ſit primùm

ens, & à quouis alio independens; sive intrinsecam, eò quòd intra Deum non potest esse distinctio causæ & effectus, propter varias imperfectiones inde resultantes.

Dices, ex eo quod Deus sit actus purus, bene sequitur eum existere: at hæc videtur demonstratio à priori, saltem quoad nos. Respondeo negando minorem nam esse actum purum est, habere existentiam, omnemque aliam perfectionem sine admixtione vllius potentialitatis. Vnde dicta argumentatio non est à causa siue reali, siue virtuali, sed à toto ad partem, ac proinde non est demonstratio: sicut neque illa Petrus est homo, ergo est animal.

Secunda pars ostenditur. Nam Paulus Romanorum 1. apertè docet inuisibilia Dei per res visibiles cognosci. Patres vno ore testantur, nos ex creaturis in cognitionem Dei posse assurgere: Theologi communiter affirmant cõtra Aliacensem & quosdam alios, existentiã Dei posse demonstrari à posteriori. Denique Philosophi solius rationis naturalis ductu, ex consideratione rerum creatarum ad cognitionem Dei peruenerũt, variisque demonstrationibus, de quibus infrà, illius existentiam comprobarunt.

Dices 1. Essentia Dei demonstrari non potest etiam à posteriori, seu per effectus: ergo neque illius existentia. Sequela patet, quia existentia, & essentia in Deo idem sunt. Antecedens ostenditur, quia cùm Trinitas spectet ad essentiam Dei, sequeretur nos posse naturaliter cognoscere Trinitatem. Respondeo essentiam diuinam non posse euidenter demonstrari per effectus, quoad quid est, posse tamen quoad, quod est. Quemadmodum ex cognitione lucis certò colligo solem existere, etsi hinc nequeam distinctè penetrare quidditatē illius, & modum quo existit.

Dices 2. ex fide supernaturali constat, Deum esse; ergo idem per demonstrationem cognosci non potest: quia cùm illa cognitio sit obscura, & hæc euidens, videtur repugnare quod vtraque simul habeatur de eadem re. Respondeo non sequi, potest enim haberi cognitio clara, & obscura de eadem re, per diuersa media: vt patet, si discam ex relatione alterius, quod propria experientia didici. Ita ergo possum ex supernaturali reuelatione credere, Deum esse; etsi eadem veritas mihi constet, ex naturali lumine.

CONCLVSIO III. Existentia

Dei triplici argumento euidenter probari posse videtur.) Primum ita habet vel res omnes quæ sunt in vniuerso, siue eæ sint finitæ, siue infinitæ, sunt productæ, vel aliqua saltem earum est improducta: si in iis est aliqua improducta, illa est Deus, quod intendimus: si verò tota rerum collectio producta est, vel producta est ab aliquo existente extra numerum eorum quæ producta sunt, vel ab aliquo existente intra illorum numerum: at hoc posterius dici nequit, quia si id quod est pars collectionis, totam collectionem produxisset, sequeretur rẽ aliquam seipsam produxisse, quod fieri non posse perspicuũ est, ergo affirmandum est totam productarum rerum seriem productam esse, ab aliqua re quæ sit extra numerum rerum productarum, adeóque quæ sit ipsa improducta, & illa est Deus.

Secundò sic argumentor. Vel res omnes quæ sunt in vniuerso sũt possibiles & contingentes vel inter eas est ens aliquod absolutè necessarium, quodque repugnet non esse. Si posterius dicatur, habemus intentum, quia tale ens est Deus: si autem prius affirmaueris, contrà arguo, vel earum rerum aliquando nulla extitit, vel, secus, si dicas aliquã-

do nullam extitisse, quæro qua vi postea de non esse ad esse transierint; certè cùm non potuerint esse à seipsis, eò quòd à nihilo nihil fieri potest sequitur eas productas esse à causa aliqua ab iis distincta, quæque non sit contingẽs, sed plane necessaria, & hanc vocamus Deum. Si verò dicas aliquam ex rebus illis contingentibus de facto semper extitisse, cum nulla earum sit absolutè necessaria, sed omnes ex se possint esse, & non esse, supponamus nullã earũ modo existere, sane ea hypothesi possibili data omnes possent existere, & transire à non esse ad esse: At qua ratione? non propria facultate, vt patet ex dictis, ergo virtute alicuius causæ quæ illas omnes antecedat, quæque necessitatem essendi habeat, & hæc est Deus.

Dices, hinc nõ sequi Deum esse de facto, sed tantùm fore, si casus ille contingeret. Verùm hoc grátis dicitur quia cùm casus ille sit possibilis, consequenter possibile est, Deum esse; ergo de facto Deus existit: si enim non esset actu, nequaquam posset existere, siue à seipso, cùm nihil seipsum producat, siue per aliquam causam priorem, quia repugnat dari aliquid prius Deo.

Tertiò, argumentari possumus ab ele-

ganti rerum creatarum constitutione & ordine, ab vniformi earum agendi modo, à perpetua elementorum quamuis inter se pugnantium, consistentia: ac denique, vt cætera præteream, à constanti cœlorũ motu, solisque accessu & recessu tempestates annuas conficiente. Ista enim satis ostendunt, esse in rerum natura supremam aliquam mentem, quæ hæc inferiora regit, ac moderatur; quãque, cum sit sapientissima, & potentissima, Deum esse meritò negari non potest. Vnde Chrysost. homil. 9. ad populum Antioch. ait creaturas tam clarè suum conditorem prædicare, vt neque Scytha, neque Barbarus, neque indus, neque vlla alia gẽs sit, quæ hanc vocẽ, omni tuba clariorem, intelligere non possit. Et Cicero li. 2. de natura Deorum, Quid potest esse, inquit, tam apertum, tamque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplari sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mẽtis, quo hæc regantur? similia scribunt alij passim.

CAPVT II.

Quid sit Deus.

SECTIO I.

An attributa diuina sint de Essentiâ Dei.

CONCLVSIO I.

ATtributa diuina non distinguuntur realiter, aut ex natura rei ab essentia Dei, vel inter se.) Prima pars probatur, tum ex summa simplicitate diuinæ essentiæ, tum ex infinita illius perfectione; non enim esset summè simplex, si attributa realiter ab illa distinguerentur, aut inter se: quia iam plures res ad illius compositionem confluerent: neque etiam infinitè perfecta, quia ad complendam suam omnimodam perfectionem, indigeret variis entitatibus à se realiter distinctis, essetque in potentia ad illas ricipiendas. Et de hoc non est difficultas apud Catholicos.

Dices, iuxta modum loquendi Patrum, attributa diuina non dicere ipsam substantiam, & naturam Dei, sed quæ naturæ insunt. Respondeo, non esse sensum, attributa in Deo esse accidentia, aut distingui realiter ab essentia diuina; Patres enim non rarò oppositum affirmant, sed ea à nobis concipi, per modum quarundam proprietatum, quæ naturam diuinam circunstant, eamque afficiunt.

Secunda pars est contra Scotistas, & iisdem rationibus ostenditur. Nam essentia diuina neque esset omnino simplex, neque infinitè perfecta, si attributa ex natura rei ab illa distinguerentur: non quidem omninò simplex, quia componeretur ex pluribus entitatibus à parte rei, & citra mentis operationem distinctis; non etiam infinitè perfecta, siquidem in sua entitate non includeret formaliter perfectiones attributales, quin potius eas excluderet.

Dices 1. attributa diuina non constituere vnum per vnionem, sed per identitatem; adeôque non componere. Verùm hæc euasio gratis conficta est, cùm nequeat intelligi plura à parte rei distincta, non constituere vnum, per vnionem, sed per identitatem: Neque hîc

exemplum relationum diuinarum eſt ad propoſitum; nam quamuis cum natura diuina vnum conſtituant per identitatem, non tamen ab ea diſtinguntur ex natura rei: contra verò vna relatio diſtinguitur realiter ab alia non tamen cum ea identificatur. At per te attributa diuina diſtinguntur inter ſe, & ab eſſentia, ex natura rei; quî ergo fieri poteſt vt eſt illis, & ex eſſentia conſtituatur vnum, non per vnionem, ſed per identitatem?

Dices 2. vt eſſentia diuina ſit infinitè perfecta, ſatis eſſe quod formaliter ſit infinita in ratione eſſentiæ, & identicè in omni genere. Sed contra, nam iuxta illam reſponſionem, eſſentia diuina formaliter ſpectata, non eſt ſimpliciter infinitè perfecta, ſed tantum ſecundum quid; quia, vt ſic, non continet perfectiones attributorum, quæ ſunt ſimpliciter ſimplices. Vnde cum Deus, vt Deus, non dicat niſi eſſentialia Deitatis, quemadmodum homo, vt homo, non dicit niſi eſſentialia hominis, ſequitur Deum, vt Deum, non eſſe ſimpliciter infinitè perfectum; quod certè admitti non debet, Iam ad ſoluendas varias obiectiones.

Nota 1. quòd Deus verè generat per

entitatem ſimpliciſſimam quæ ſimul eſt intellectus, & voluntas: dicitur tamen generare per intellectum, non per voluntatem, quia generat per illam entitatem, non vt habet rationem voluntatis, ſed intellectus.

Nota 2. vnum attributum eſſe magis idem cum ſeipſo, quàm cum aliis, non quidem actu, ſed virtute & ratione: quatenus etſi eadem ſit actualis omnium entitas, vnum tamen ab alio diſtinguitur virtualiter, & ratione ratiocinata; à ſe autem ratione ratiocinante duntaxat.

Nota 3. non benè colligi diſtinctionem ex natura rei, inter attributa, ex eo quod ſimiles perfectiones in creatis eo modo diſtinguntur: quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus. Neque ex eo quod aliter miſericordia aliter iuſtitia diuina deſcribi ſolet, tales enim deſcriptiones formantur ab intellectu noſtro, qui vt concipit res, ita eas deſcribit. Quare cum nequeat in hoc ſtatu, Deum clarè cognoſcere, varios de illius eſſentia, & attributis conceptus format; & conſentaneè ad eos conceptus inadæquatos, aliter Dei eſſentiam, aliter ſingula illius attributa deſcribit.

CONCLVSIO II. Attributa

diuina non distinguntur tantùm nomine ab essentia, vel inter se, sed etiam virtualiter, seu ratione ratiocinata.) Prima pars probatur, quia si inter prædicta sola esset nominum distinctio, sequeretur omnia nomina diuina esse synonima, quod tamen falsum est; quia etsi eandem rem significent, non tamen sub eadem ratione, neque possumus iis indifferenter vti, ad quamlibet Dei perfectionem significandam.

Secunda pars sufficienter colligi potest ex dictis, ac præterea probatur, quia ex vna parte essentia diuina in sua simplicissima entitate vnitissimè continet varias perfectiones, in creaturis realiter distinctas, iisque æquiualentes, vnde existit distinctio virtualis: ex alia verò intellectus noster in hoc statu, cum nequeat totum illud obiectum vnico conceptu adæquare, in varios conceptus inadæquatos illud partitur, alio concipiens iustitiam, alio misericordiam; quo ipso censetur constitui inter attributa diuina distinctio rationis, cum fundamento in re.

Nota 1. prædicta intelligi de intellectu viatorũ, qui Deum non cognoscũt nisi ex creaturis: si autem sermo sit de beatis, ij attributa diuina non distin-

gunt per rationem; quia cum clarè cognoscant diuinitatem sicuti est, adeóque vt planè indistinctam ab attributis, non possunt vnam illius perfectionem ab alia cogitatione præscindere; etsi cognoscant distinctionem rationis quam nos de diuinis attributis effingimus.

Nota 2. quòd sicut inter diuina attributa nō est distinctio realis, sed virtualis dūtaxat; ita inter illa reperiri non potest nisi ordo virtualis: quò fit vt idem ordo virtualis concipi debeat inter ipsas perfectiones diuinas, qui reperiretur inter illas, si distinguerentur realiter; vnde intellectus in Deo ratione præcedit voluntatem, immutabilitas æternitatem, & sic de aliis.

CONCLVSIO III. Attributa sunt à parte rei de conceptu essentiæ diuinæ, & vice versa, non tamen respectu intellectus nostri inadæquatè, & explicitè ea concipientis.) Prima pars probatur, quia Deus est id quo nihil maius, aut perfectius cogitari potest; ac proinde vt sic, est illimitatus in omni genere perfectionis possibilis. Hoc autem falsum esset, si non contineret essentialiter omnes perfectiones attributales, sed tantum identicè: sic enim non esset essentialiter summè, & infinitè perfectus.

Secunda pars ſuadetur: nam attributũ diuinũ eſt ens vel eſſentialiter finitũ, vel eſſentialiter infinitũ; non finitũ, quia Deus cùm ſit infinitus, nõ cõſtat ex finitis: ergo infinitum, adeóque includens eſſentialiter omnes perfectiones poſſibiles, & conſequenter eſſentiam diuinam, & reliqua attributa diuina. Cõfirmatur, nam nõ ex alio capite Deus eſt eſſentialiter Deus, quã quia eſt eſſentialiter ens à ſe; atqui quodlibet attributum diuinum eſt eſſentialiter ens à ſe, non ab alio; ergo eſſentialiter eſt Deus.

Tertia pars oſtenditur, quia illud tantum eſt de conceptu explicito alicuius rei, quòd primariò & explicitè obiicitur intellectui eam concipienti: at dum concipis eſſentiam diuinam, non illico occurrit diſtincta cognitio bonitatis, iuſtitiæ, aliorumque omnium attributorum ipſius, & vice verſa cùm cogitas de bonitate, aut iuſtitia diuina, non ſtatim directa, & explicita cogitatione attingis ipſam ſubſtantiam Dei, cui talia attributa competunt.

Nota, propoſitiones in quibus vnum attributum prædicatur de alio, eſſe veras in ſenſu formali, formalitate ſe tenente ex parte obiecti, non autem formalitate ſe tenente ex parte intellectus

inadæquatè concipientis, quia sic vnum distinguitur ab alio; vnde non potest dici, quòd intellectus qua intellectus, sit voluntas, aut vt sic velit: quia iam concipiuntur vt virtualiter, & secundùm nostram rationem condistincta quomodo vnum non potest prædicari de alio.

CONCLVSIO IV. Quamuis actualis intellectio à parte rei sit de formali, cõstitutiuo diuinæ essentiæ, nõ tamẽ iuxta conceptũ nostrũ explicitũ.) Patet ex dictis; Nam in primis cùm attributa omnia cõmunia sint à parte rei de essentia diuinitatis, non magis dubitari potest intellectionem actualem ad illius essentiam, & constitutionem intrinsecam spectare, quàm illam inter attributa Dei communia esse annumerandam.

Eò vel maximè quia pro adæquato constitutiuo alicuius rei, assignari debet id quod præsertim naturam illius explicat: hoc autem præstat respectu Dei ratio entis à se, seu vndique perfecti & illimitati in omni genere perfectionis possibilis; siquidem illa non tantum ponit in Deo infinitam perfectionem, sed etiam perfectiori modo possibili: quare cum intellectio includatur in tali ente, dubitari non potest, quin à par-

te rei ad formale Dei constitutum pertineat.

Deinde cum aliqua attributa communia, iuxta explicitum nostrum conceptum, non sint de ratione diuinæ essentiæ, idem de actuali intellectione affirmandum est, cum par sit ratio: præsertim quia cum à nobis concipiatur per modum actus secundi, ab intellectu diuino eliciti, multò minus esse potest de conceptu explicito diuinitatis, quàm ipse intellectus, aliaque attributa quæ à nobis concipiuntur per modum potentiæ, & actus primi.

Accedit quod intellectio supponit obiectum in quod fertur quare cum diuinæ intellectionis obiectum sit ipsa essentia diuina, consequenter illa hanc supponit, atque adeò nequit spectare ad intrinsecam constitutionem illius, saltem respectu nostri.

Neque Deo fit iniuria, quòd eum concipiamus per modum substantiæ intellectiuæ à se existentis: hæc enim est imperfectio nostri intellectus, non ipsius Dei; sicut & quòd alia attributa concipiamus per modum proprietatum ab essentia distinctarum.

SECTIO II.

De Perfectione & Bonitate Dei.

CONCLVSIO I.

DEus non est tantum perfectus, sed etiam summè perfectus.)Prior pars probatur: nam perfectum illud dicitur cui nihil deest ad suum complemenmentum naturale. At Deus eadem necessitate qua est ens à se, habet omnem perfectionem sibi connaturaliter debitam, neque ea vi alicuius agentis extrinseci priuari potest, siue ex toto, siue ex parte.

Vbi aduerte quòd etsi creaturæ dici possint perfectæ, quatenus habent perfectiones ad suum statum connaturalem requisitas, siue eæ ad entitatem spectent, siue ad operationem, siue ad assecutionem finis; Deus tamen in eo genere multò est perfectior, cum prædicta habeat longè nobiliori modo quàm creaturæ, ut notat S. Doct. 1.p.q 6.art.3. In primis enim Deus essentialiter, & à se est ens actuale, creaturæ verò sunt de-

pendenter ab agente extrinseco; essentia Dei per seipsam operatur, res autem creatæ per varias potentias & accidentia: Deus tandem per seipsum beatus est, alia verò beatitudinis obiectum extra se habent.

Secunda pars ostenditur, quia illud dicitur summè perfectum, cui absolutè nulla deest perfectio: at Deo absolutè nulla deest perfectio, cum enim ipse sit fons rerum omnium existentium; nihilque sit possibile nisi per ordinem ad potentiam illius, necesse est vt omnem omnino perfectionem aliquo modo in se præhabeat.

Confirmatur, nam Deus est id quo nihil maius, aut perfectius excogitari potest: quare non tantùm debet habere omnem perfectionem sibi debitam, sicut pleræque res habent, iuxta statum suum; sed etiam omnis perfectio, in tota latitudine entis, concipi debet vt illi debita, eique necessariò, & essentialiter competens: aliàs posset aliquid cogitari melius, & perfectius Deo, quod repugnat. Vnde Dion. cap. 5. de diuinis nominibus, ait Deum non modo esse existentem, sed simpliciter, & incircunscriptè totum in seipso esse vniformiter accipere.

CONCLVSIO II. Aliquæ perfectiones ſunt in Deo formaliter, aliæ eminenter duntaxat.) Vt hoc intelligas nota perfectiones eſſe duplicis generis, aliæ enim dicuntur ſimpliciter ſimplices, aliæ ſimplices ſecundum quid; perfectio ſimpliciter ſimplex dicitur illa, quæ in quolibet ente, vt ens eſt, melior eſt ipſa quam non ipſa. Simplex verò ſecundum quid, quæ non ita ſe habet; quo poſito.

Dico primò, perfectiones prioris generis eſſe formaliter in Deo, qua parte in ſuo conceptu formali dicunt perfectionem: ſic enim Deus dicitur formaliter viuens, intelligens, ſapiens, &c. Imò Deus non tantum identicè, ſed etiam eſſentialiter eſt vita, intelligentia, & ſapientia ex ſupradictis, quia tamen iſtæ perfectiones in creatis dicunt imperfectionem, cum ſint finitæ, & in genere accidentis, hoc modo non poſſunt eſſe in Deo formaliter ſed tantum eminenter, iuxta iam dicenda.

Dico ſecundò, perfectiones poſterioris generis eſſe tantũ eminenter in Deo: cum enim dicant imperfectionem, non poteſt ſpectare ad conſummatam Dei perfectionem, quòd eas formaliter contineat: ſufficit ergo quod illas contineat eminenter,

eminenter, eo videlicet ſenſu, vt poſſit Deus ſua virtute perfectiones illas producere in creaturis,& per ſeipſum efficere, quicquid illæ præſtant in genere cauſæ efficientis.

Ex iis autem colligi poteſt 1. creaturas eſſe Deo ſimiles ſecundum ſimilitudinem quandam analogicam, eò quòd illarum perfectiones ſunt in Deo longè nobiliori modo quam in ipſis: quamuis admittendum non ſit, quod Deus ſit ſimilis creaturæ, vt notat S. Thomas q. citata art. 3.ad 4.& multò minus quòd Deus ſit aliqua res creata, aut quòd res aliqua creata ſit Deus.

Collige 2. Nomina communia Deo & creaturis non dici de illis vniuocè, neque etiam æquiuocè,ſed analogicè;quatenus perfectiones iis ſignificatæ, ſunt quidem in creaturis, non æqualiter ac in Deo,ſed modo inferiori, & cum ordine ad illum;qua de re vide S. Thomã 1. p. q. 13. art. 3.

CONCLVSIO III. Deus eſt ſummè bonus) Probatur: nam tripliciter aliquid poteſt dici bonũ.1.quatenus bene ſeu conſentaneè ad rectam rationem operatur.2.quatenus eſt conueniens vel ſibi vel etiã alteri,& ab eo appetibile.3. quatenus bonũ idem eſt ac perfectũ. At

Deus his omnibus modis est sūmè bonus, cū ipse sit rectus & sāctus in omnibus operibus suis, habeat statū sibi maximè conuenientē, & à creaturis omnibus, tanquā summū earum bonū, pro cuiusq; modulo appetatur; perfectionesque omnes possibiles essētialiter possideat.

Dices, summum bonum debere excludere omne malum, ergo, &c. Respondeo, summum bonum debere excludere omne malum, à subiecto in quo est, non autem ab aliis, quorum respectu se habet extrinsecè.

Quo loco aduerte 1. esse bonum per essentiam esse proprium solius Dei, vt notat S. Doctor art. 3 & satis intelligi potest ex dictis concl. 1. quæ enim ibi de perfectione Dei allata sunt, ad illius bonitatem æquè pertinent, cùm bonum & perfectum idem sint.

Aduerte 2. ex art. 4. quòd etsi Deus communicet bonitatem suam creaturis in genere causæ efficientis, exēplaris, & finalis; res tamen quælibet dicitur bona formaliter, à bonitate sibi inhærēte, quæ non est ipsa bonitas diuina, sed quædam exigua illius similitudo, & participatio.

Neque refert quòd Deus dicatur bonum omnis boni, non enim sensus est, quòd creaturæ sint tantum bonæ ex-

trinſecè, idque à bonitate diuina, habent enim propriam & internam bonitatem; aut quòd bonitas diuina ſingulis rebus inhæreat, ſiquidem Deus in nullius rei compoſitionem venire poteſt, ex ſupradictis: Deus ergo dicitur bonum omnis boni, quia cauſat omnem bonitatẽ creaturarum modis prædictis. Hinc intelligis præclarum illud Auguſtini 8. de Trinit. 3. Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipſum bonum ſi potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.

SECTIO III.

De ſimplicitate Dei.

CONCLVSIO I.

DEus non eſt corporeus nec cõpoſitus ex materia & forma.) Prima pars eſt de fide contra Audianos, ſeu Antropomorphitas, probaturque primò ex Scriptura, quæ docet ſimpliciter Deum eſſe ſpiritum, & indiuiſibilem, lucemque habitare inacceſſibilem, ex quibus Patres colligunt, Deum eſſe formaliter

incorporeum, vt etiam ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. referturque in cap. firmiter de ſumma Trinitate,& fide Catholica.

Probatur 2. quia nullum corpus excogitari poteſt, quòd variis defectibus non ſubiaceat, ſiue quoad conditionem propriæ naturæ & entitatis, quæ eſt multo imperfectior ſubſtãtiis ſpiritualibus; ſiue quoad modum exiſtendi, nimirum quantitatiue, & in loco determinato; ſiue quoad vim agendi limitatam ad effectus corporeos,& ad certum ſpatium: atqui eiuſmodi defectus longè alieni ſunt à Deo, qui eſt ens perfectiſſimum, quo nihil melius, ſiue quoad naturæ conditionem, ſiue quoad modum exiſtendi, ſiue quoad agendi virtutem excogitari poteſt.

Secunda pars probatur ex iam dictis: materia enim non habet locum niſi in rebus corporeis & quantis: quòd ſi quis Deo gratis affingat materiam aliquam quantitatis expertem, adeóque indiuiſibilem quoad partes integrantes, certè talis materia ſe habebit vt potẽtia paſſiua reſpectu formæ, aliàs quo titulo diceretur materia? ſicque Deus eritquid compoſitum ex actu & potentia, adeóque non erit primum ens, quia compoſi-

rum est posterius partibus componentibus & ab iis dependet: nec ens absolutè necessarium, quia non repugnat dissolui compositum quod ex partibus distinctis coalescit: hinc autem collige fieri non posse quod Deus in compositionem aliorum veniat, siue tanquam materia, siue tanquam forma; vnde facilè refelli possunt varij errores quorum meminit S. Doct. 1. p q. 3. art. 8.

Nota Scripturam sacram quando membra humana, & nomina aliarum rerum corporearum Deo tribuit, metaphoricè intelligendam esse, vt per rerum materialium similitudinem varias Dei perfectiones exprimat, per oculos vim intelligendi, per brachia potentiam exequendi, per leonem fortitudinem, per agnum mansuetudinem, &c. Quare autem scriptura potius tradat nobis diuina sub figuris vilium rerú, quam nobilium, vide apud S. Thomam 1. p. q. 1. art. 9. ad 3.

CONCLVSIO II. Non est in Deo compositio siue ex natura & supposito, siue ex essentia & existentia.) Non prior, vt patet tum ex Scriptura & Patribus qui docent Deum esse deitatem, veritatem, bonitatem, &c, adeóque abstracta in Deo prædicari de concretis,

quod falsum esset, si illa distinguerentur inter se. Tum ex Concilio Rhemésí sub Eugenio III. vbi teste Bernardo serm.80. in Cant. damnatus est Gilbertus Porretanus Episcopus Pictauiensis, quòd negaret propositiones illas, Deus est Deitas, Deus est veritas, &c.

Tum quia non est ponenda in Deo subsistentia aliqua absoluta, sed tantum tres relatiuæ, vt suppono ex lib. 2. vbi de Trinitate; quòd autem illæ non distinguantur ab essentia, ac proinde cum ea non componant, patet, quia aliàs in Deo admitti deberet quaternitas rerum ante mentis operationem distinctarum, quod dici non potest.

Non posterior, vt patet ex dictis capite 3. vbi ostendimus existentiam Dei perfecte identificari cum essentia illius, imò esse de conceptu illius quidditatino. Hinc enim sequitur, vnam non posse realiter componere cum alia: siquidem compositio aliud nihil est quam distinctorum vniò, nullaque assignari potest vera compositio, quando vnum extremum perfectè identificatur cum alio, aut est de cõceptu essentiali illius.

CONCLVSIO III. Non est ponenda in Deo compositio, siue ex genere & differentia, siue ex subiecto & accidente.) Non quidem prior, nam

genus vniuocè prædicatur de pluribus speciebus, Deus autem non potest esse species, quia cum sit ens summè & infinitè perfectum repugnat esse plures Deos numero distinctos: sic enim vnus differret ab alio, adeóque careret perfectione illius, & consequenter non esset summè perfectus, vt recte argumentatur S. Docto. 1. p. q. 11. art. 3. Nihil etiam datur commune vniuocum Deo & creaturis, cum Deus sit essentialiter ens independens & illimitatũ, creaturæ verò essentialiter dependentes & limitatæ. Cum ergo Deus non sit sub genere, non potest componi ex genere & differentia.

Non etiam posterior, tum quia Deus si constaret ex accidentibus, non esset essentialiter infinitè perfectus: iam enim ipsius substantia per aliquid aduentitiũ perficeretur, neque etiam esset immutabilis, quia accidens de se aptum est adesse, vel abesse à subiecto; tum quia si non debet admittit in Deo compositio substantialis, vtpote maiorem imperfectionem includens.

Ex dictis collige, Deum esse omnino simplicem, cùm omni genere realis cõpositionis careat, vt hactenus ostensum est, potestque efficaciter confirmari ex

capite firmiter de summa Trinitate, vbi id definitum fuit.

Dices, etsi in Deo, vt vno, non sit compositio, est tamen in Deo, vt trino; tum quia quælibet persona cum aliis in aliquo conuenit, & in aliquo ab iis distinguitur: tum quia cum tres personæ sint inter se realiter distinctæ, non potest ex iis non oriri realis compositio. Respondeo, ex neutro capite sequi compositionem in Deo, non ex primo, cum sit summa identitas inter naturam, in qua quælibet persona cum aliis conuenit, & personalitatem per quam ab iis distinguitur. Non etiam ex secundo, nã vel personæ considerantur vt sunt vnum in essentia, & sic non sunt vnum per compositionem. sed per identitatem: vel vt sunt inter se realiter distinctæ, & sic non coalescunt vt vnum quid componant, sed sunt tantum plures res simplices; sicut numerus est plures vnitates.

SECTIO IV.

De Infinitate, & Immensitate Dei.

CONCLVSIO I.

DEus isque solus est essentialiter infinitus.) Prior pars est de fide,

& probatur primo ex scriptura Baruch. 3. Magnus & non habet finem, excelsus, & immensus: & Psal. 144. Magnitudinis eius non est finis. Quæ verba de magnitudine virtutis, seu perfectionis intelligi debent: id ipsum traditur à Patribus, fuitque definitum in Concilio Lateranensi, vt refertur in cap. firmiter, de summa Trinitate.

Probatur 2. ex eo quòd Deus sit ens à se, & independens à quouis alio, hinc enim colligi solet, eum non posse habere vllam limitationem in sua entitate, cùm limitatio effectuum à voluntate, aut impotentia causarum à quibus procedunt oriatur. Confirmatur, quia vt supra diximus, Deus est essentialiter ens primum, non modo in essendo, sed etiã in causando; ac proinde debet continere perfectiones omnes possibiles, quæ in infinitum multiplicari possunt.

,, Dices, quod ita est hic vt non sit alibi, non est infinitum secundum locum; ergo quod ita est hoc vt non sit aliud, non est infinitum secundum essentiam, sed Deus ita est hoc, vt non sit aliud, nõ enim est lapis, aut lignum; ergo Deus non est infinitus secundum essentiam. Respondeo: negando consequentiam, nam de ratione corporis infiniti, quoad

extensionem, est vt formaliter loca omnia repleat quare si est in vno loco, & non in alio, non est eo modo infinitum. At verò non est de ratione entis, quoad essentiam infiniti, vt sit formaliter infinita entia quoad multitudinem, sed vt perfectiones infinitas, aut formaliter, aut eminenter cõtineat. Vnde etsi Deus non sit formaliter lapis, aut lignum, id non impedit, quin sit infinitè perfectus quoad essentiam.

Posterior pars suadetur, quia quicquid est præter Deum essentialiter pendet à Deo, ac proinde caret summa illa perfectione, quæ est, esse ens à se; nihil tamen vetat quin res aliqua simpliciter finita, dicatur infinita secundum quid, quatenus res illi inferiores quantumuis perfficiantur, ad ipsius dignitatem specificam nunquam pertingere possunt.

Nota quòd cùm creaturæ sint bonæ & perfectæ, per bonitatem & perfectionem intrinsecam quam à Deo participant, vt supra dictum est, magna autem sit inæqualitas in tali participatione, cõsequens est eas non esse inter se æqualiter perfectas, esto omnes à Dei perfectione infinitè distent.

CONCLVSIO II. Non potest dari infinitum actu siue secundum mul-

titudinem, siue secundum magnitudinē, siue secundum intensionem.) Prima pars probatur in primis, quia sequeretur partem esse æqualem toti, contra principiū illud notissimum, totum est maius sua parte. Sequela patet, nam vnitas est pars binarij, & consequenter infinita multitudo vnitatum, est pars infinitæ multitudinis binariorum; cùm singulis binarijs duæ vnitates respondeant; At infinita multitudo vnitatum non potest resultare ex finita multitudine binariorū, sed tantùm ex infinita cuius tamen est pars, vt dixi; quare pars est æqualis toti.

Deinde ea multitudo quæ, detracto aliquo numero finito, manet finita, non potest esse infinita, vt notum est: at si ex quantacumque lapidum multitudine, vel vnus tollatur, qui remanent non sunt infiniti; cùm illud non sit infinitum in aliquo genere, quod non continet omnem perfectionem illius generis, sicut neque illud est absolutè, & in omni genere infinitū, quod non cōtinet omnes perfectiones absolutè possibiles.

Secunda, & tertia pars possunt eodem modo probari. Nam in primis quantitas pedalis est pars bipedalis, & vnus gradus qualitatis est pars duorum, vnde prior ratio instaurari potest. Rursus si

à quacunque magnitudine duos pedes, vel à qualitate quantumuis intensa duos gradus auferas, quod remanebit non poterit esse infinitum in eodem genere, ob secundam rationem.

„ Dices, Deus potuit creare mundum ab æterno, & singulis diebus producere vnum Angelum; quod si præstitisset, iam essent de facto infiniti Angeli, ergo tale infinitum est possibile. Respondeo 1. gratis in hoc argumento supponi, tempus potuisse esse ab æterno: tempus enim sequitur motum alicuius substantiæ, & prius est rẽ esse productã, quã moueri; quia producitur in instanti, & non mouetur nisi successiuè.

„ Respondeo 2. ea suppositione gratis admissa, negandam esse consequentiam: quia etsi Deus quolibet die vnum Angelum creasset, eorum multitudo non esset actu, & simpliciter infinita; quia creatione nouorum Angelorum quotidie augeri posset. Circulationes etiam omnes, vsque ad hodiernam, transactæ essent; cùm tamen id quod propriè infinitum est, non possit pertransiri. Quæ ratio est cur ex S. Thoma 1 p. quæst. 7. art. 3. corpus infinitæ magnitudinis, si daretur, non posset moueri circulariter: quia vna pars nunquam posset peruenire

ad locũ alterius, eò quòd infinitè inter se distarent. Verum de hac quæstione, plura apud Philosophos.

CONCLVSIO III. Deus est vbique in hoc mundo, & etiam extra hunc mundum.) Prior pars satis constat ex Scriptura: Ierem. 23. Cœlum, & terram ego impleo. Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo, &c. Et ex Patribus, vt à fortiori ex probatione posterioris partis intelligetur. Fuit etiam definita in capite firmiter, vbi statuitur, Deum esse immensum: idemque habetur in Symbolo Athanasij: vnde vt minimum colligitur, Deum esse in hoc mundo rebus omnibus præsentem. Ratio autem sumi potest primò ex infinitate Dei, cùm enim Deus sit summè perfectus, sequitur eum esse realiter præsentem rebus omnibus siquidem res creatæ eò perfectiores, cæteris paribus iudicantur, quò maius spatium secundum realem præsentiam occupare possunt.

Secundò idem ostenditur ex immutabilitate Dei: nam vel Deus potest esse in aliqua creatura, vel non; hoc posterius dici nequit, cùm nequidem id denegetur Angelo: si prius, ergo de facto est in illa, aliàs posset mutari, & cùm non sit potior ratio de vna quam de alia,

fatendum est eum esse in omnibus.

Quo loco aduerte, Deum generatim esse tribus modis in rebus omnibus, nempe per essentiam, per præsentiam, & per potentiam, speciatim verò esse in iustis per gratiam sanctificãtem in Ecclesia, per specialem assistentiam & directionem, in Sanctis per gloriam, in Christo per vnionem hypostaticam, &c.

Posterior pars non est adeò certa, & à nonnullis negatur. Videtur tamen sine dubio conformior Scripturæ, docenti Deum à cœlis non capi, & Patribus passim affirmantibus, Deum non tantùm esse in mundo, sed etiam extra mundum; eum implere, & superexcedere omnia, supra omnem magnitudinem fundi, & expandi, aliáque id genus quæ non debent ad sensum valde improprium & hyperbolicum trahi, qualis esset, si Deus hoc mundo concluderetur.

Accedit ratio, nam nulla est perfectio in Deo quæ actu non sit infinita & illimitata, at immensitas est quædam Dei perfectio, ergo ea debet esse actu infinita & illimitata, ac proinde in infinitum supra cœlos actu extendi debet, & non tantùm potentia.

Deinde si Deus crearet alium mun-

dum, esset realiter in illo, atque adeò esset realiter extra hunc mundum. Hoc autem fieri non posset absque mutatione, si Deus iam tantùm esset in hoc mundo; cum nequeat concipi rem aliquam modo non esse realiter extra certum spatium, modo esse realiter extra illud, sine sui mutatione.

,, Dices, extra cœlum nulla sunt spatia, nisi per imaginationem, ergo Deus ibi non est: quia aliàs esset in nihilo. Respondeo negando antecedens, nam verè, & citra vllam imaginationem, sunt extra mundum vasta quædam & infinita spatia, quæ res omnes creabiles recipere possunt: sicut & in hoc mundo sunt similia spatia, quæ de facto occupantur à rebus creatis. Nec dicas ipsa corpora facere spatia seipsis, nam etsi hoc verum sit, de spatiis physicis & positiuis, non tamen simpliciter de quocunque spatio: cum res omnes, antequam existant, supponant spatium aliquod in quo recipiantur, quodque suo modo existat, independenter ab illis Quare prædicta spatia non dicuntur imaginaria, quòd à sola hominum imaginatione pendeant, sed quia imaginamur illa, tanquam spatia quædam physica & positiua; cum tamen

nihil ſint positiuum, ſed tantum quædã negatio adiunctam habens capacitatẽ, ſeu non repugnantiam, vt repleatur. Neque abſurdum eſt eo ſenſu concedere, aliquid eſſe in nihilo, vt patet, ſi corpus poneretur in vacuo: niſi dicere malis, iuxta modum loquendi Patrum, Deũ extra cœlos eſſe in ſeipſo.

„ Nota 1. vbiquitatem Dei non tantum dicere exiſtentiam illius, ſed etiam connotare exiſtentiam aliarum rerum, in quibus Deus exiſtere dicitur. Immenſitatem verò Dei, dicere tantum illius exiſtentiam infinitè diffuſam, ſiue aliud exiſtat, ſiue non. Vnde illa non competit Deo neceſſariò, & ab æterno, ſed libere, & in tempore: Hæc verò illi conuenit neceſſario, & ab æterno, cum nullam creaturam connotet, ſed dicat ſolam præſentiam Dei, ab illius ſubſtantia minimè diſtinctam.

„ Nota 2. immenſitatem abſolutè nulli creaturæ poſſe competere; vbiquitatẽ verò aliquatenus poſſe: quia poteſt Deus creare Angelum, qui totum mũdũ occupet. Qui tamẽ nõ erit neceſſario in rebus omnibus, quantumcumque augeantur, aut etiam in tota latitudine ſpatij, quod occupare poteſt; cùm ad quandam partem, vel punctum illius poſſit præſentiam ſuam reſtingere. Vn-

de vbiquitatem participabit diuinæ longe inferiorem; cùm Deus ita sit vbique, vt repugnet aliquid produci, in quo ipse non sit, aut quòd præsentiam suam ad spatium aliquod finitum contrahat.

SECTIO V.

De Immutabilitate, & Æternitate Dei.

CONCLVSIO I.

DEus, isque solus est immutabilis.) Prior pars est certa ex fide, vt satis potest colligi, tum ex Scriptura sacra Malach. 3. Ego enim Dominus, & non mutor. Iacobi 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, &c. tum ex definitione Concilij Lateranensis relata in capite firmitur. Ratio autem est quia si Deus est mutabilis, hoc est vel secundum substantiam, vel secundùm accidentia: non primum, quia cum sit ens à se, ab alio generari, aut corrumpi non potest; non secundum, quia Deus non est capax vl-

lius accidentis ex dictis capite 3. Confirmatur, nam Deus non potest mutari mutatione perfectiua, cùm habeat in se plenitudinem essendi, neque amissiua, cùm habeat omnia eadem necessitate & independentia qua est.

Posterior pars est etiam de fide, vt colligitur ex verbis illis 1. ad Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem, id est, immutabilitatem, vt explicant Patres, & præclarè inter alios noster Bernardus sermone 81. in Cant. Ratio verò est, quia quidquid est præter Deum, est creatura; at omnis creatura pendet à Deo quoad sui productionem, & conseruationem, potestque ab eo in nihilum redigi, & ita quoad substantiam mutari: cumque non sit omnino simplex, & infinitè perfecta; potest nouas qualitates recipere, & aliis priuari, potest etiam ab vno in alium locum transferri, cùm non sit immensa; & tandem, si est intellectualis, in suis electionibus aliisque operationibus internis varias mutationes subire potest.

CONCLVSIO II. Deus est verè & propriè æternus.) Est de fide, vt potest colligi ex Scriptura, Deuteronomij 32. Viuo ego in æternum, dicit Dominus. Psal. 101. Tu autem idem ipse es,

& anni tui non deficient, tum ex Symbolo Athanasij, vbi ita habetur: Æternus Pater; æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Tum denique ex capite firmiter, vbi idem statuitur.

Ratio autem à priori sumitur ab immutabilitate Dei, siquidem illud est æternum quod, habet necessariam & immutabilem permanentiam in esse: Deus hoc habet, cùm sit ens à se, & ab alio independens; quare verè & propriè est æternus. Confirmatur, nam ens absolutè necessarium non potest habere initium vel finem essendi; at hoc est habere durationem infinitam, adeóque esse æternum.

„ Nota. æternitatem communiter à Theologis, ex Boëtio sic describi Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio. Dicitur perfecta possessio, quia res essentialiter æterna tam perfectè possidet vitam, vt per nullam potentiam ab ea vnquam excidere possit. Dicitur, tota, ad denotandum bonum illud non possideri per partes, & successiuè sed totum simul quoad integram suam perfectionem, & latitudinem. Ibi, inquit Augustinus, in Psal. 101. nihil est præteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit;

non est ibi nisi est, non est ibi, fuit, & erit. Vnde Pater æternus quotidie dicere potest ad Filium. Ego hodie genui te, quia eum genuit in æternitate, quæ non habet præteritum, aut futurum, sed est tota semper simul. Dicitur tandem, interminabilis vitæ, quia æternitas est duratio vitæ perfectissimæ, qualis ea est quæ principio ac fine caret.

Nota 2. prædictam descriptionem æternitatis durationi Dei perfectè competere; ea enim non distinguitur à substantia Dei, quæ principio & fine caret, adeóque est interminabilis: caret etiam partibus sibi inuicem succedentibus, ac proinde totum suum esse simul habet. Deus tandem est perfectissimè viuens, vitamque modo perfectissimo, nempè à se possidet. Nec refert quod Scriptura Deo interdum tribuat varias temporum differentias: ita enim loquitur, vt ostendat durationem Dei, etsi in se indiuisibilem, complecti omnia tempora, iisque coexistere, sicut anima rationalis coexistit corpori quanto, & punctũ in medio circuli positum toti circunferentiæ. Hinc autem collige, nihil propriè esse æternum præter Deum, etsi nonnulla illius æternitatem impropriè participa-

re dicantur, siue quia diu durant, siue quia nunquam desinunt, &c.

,, Quæres, quomodo se habeat æternitas diuina, cum coexistentia prædicta. Respondeo 1. æternitatem ab ea aliquo modo distingui, quatenus æternitas dicit præcisè durationem Dei, coexistentia verò connotat simultaneam aliorum durationem. 2. talem coexistentiam necessario oriri ex æternitate durationis diuinæ, supposita quarundam rerum creatione: eo ipsò enim quòd Deus æternus est sequitur nihil vnquam existere cuius ipse durationi non coexistat. 3. licèt æternitas Dei sit prorsus immutabilis, variationē aliquam in dicta coexistentia reperiri prout ipsum tempus in se variatur. Dicimus enim Deum hodie non coexistere diei hesternæ, aut crastinæ, nec cras coextiturum hodiernæ, &c.

CONCLVSIO III. Æuum est duratio indiuisibilis & tota simul.) Est communis contra Bonauenturam, eáque ratione probatur: nam cum duratio nihil aliud sit, quam ipsum esse rei vt permanens; non potest esse in duratione successiua, nisi res ipsa quæ durat, habeat in se successionem aliquam, vt patet in tempore, quod non alia de causa est suc-

cessiuum, nisi quia motus cuius est duratio, habet in se partes priores & posteriores; atqui æuiterna, vt Angeli, non habent in se vllam successionem, sed sunt entia indiuisibilia & tota simul: ergo neque æuum, quod est eorum duratio, talem successionem ferre potest. Confirmatur: nam si in permanentia Angeli in suo esse contingeret successio, similiter dici posset, in æterna Verbi generatione successionem reperiri, cùm ea semper duret, iuxta illud Psal. 2. Ego hodie genui te.

Neque tamen propterea æuum adæquandum est æternitati: hæc enim neque in se, neque in sibi adiunctis successionem patitur; & ex intrinseca necessitate est indeficiens, seu continens actu vim coexistendi durationi infinitæ. At duratio Angeli in sibi adiunctis successionem aliquam pati potest, habetque duntaxat infinitatem quandam negatiuam, & secundum quid, quatenus non finitur tempore.

CAPVT III.

De visione Dei.

SECTIO I.

De possibilitate visionis Dei, & de lumine ad eam requisito.

CONCLVSIO I.

DEus potest in seipso clarè videri ab intellectu creato, non tamen naturæ viribus.) Prior pars est de fide, potestque probari ex Scriptura Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est, quæ & similia ab Ecclesia, & Patribus intelliguntur de visione clara, qua Deus videtur in se, non autem in obiecto aliquo prius cognito.

„ Deinde ab actu ad potentiam valet consequentia; at de fide est, beatos de facto clarè Deum videre, vt in se est, neque talem visionem differri vsque ad diem iudicij, vt definitum est à Concilio Florentino, decreto de Purgatorio, & à Benedicto XI, in Extrauag. Benedictus Deus, à recentioribus relata.

„ Tandem vt arguit S. Doctor 1. p. quæst. 12. art. 1. cùm vltima hominis beatitudo in altissima eius operatione, quæ est operatio intellectus, consistat; si intellectus creatus Deum videre nequit, vel ille nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio quam in Deo eius beatitudo consistit; quod à fide alienum est, quia perfectio vltima creaturæ consistit in coniunctione ad suum principium.

Addunt nonnulli varias rationes ex solo lumine naturæ sumptas, quibus idē demōstrari putant, sed frustrà: nam lumen naturale non potest aliquid demonstrare, nisi ex causis aut effectibus naturalibus: visio autem Dei cùm sit ordinis supernaturalis, non habet causas vel effectus naturales, per quos illius possibilitas demonstrari possit.

„ Dices, non cognoscimus naturaliter, quamlibet potentiam, saltem eleuatam, posse attingere suum obiectum; Deumque; cùm sit ens, contineri sub obiecto intellectus? Respondeo non satis constare, ex solo naturæ lumine, vtrum ens in genere, prout complectitur naturale, & supernaturale, sit obiectum intellectus creati. Neque, etsi hoc detur, inde colligi, stando præcisè in lumine naturali, Deum posse ab intellectu crea-

to

to perfectè, & quidditatiuè, vt in se est, cognosci: quia dici poterit, minorem cognitionem sufficere.

Posterior etiam pars est de fide, vt statutum est in Concilio Viennensi sub Clem. V. contra Begardos & Beguinas. Probatur autem 1. quia homo non potest naturaliter assequi media necessaria ad obtinendam visionem Dei, vt suppono ex aliàs dicendis, ergo multo minus sibi relictus ipsam Dei visionem assequi poterit. 2. quia modus cognoscendi sequitur modum essendi, cùm cognitio fiat secundum quod cognitum est in cognoscente, & cognitum sit in cognoscente, secundum modum cognoscentis, vt arguit S. Thomas art. 4. atqui esse Dei est altioris ordinis quam esse creaturarum intellectualium, ergo hæ non possunt Deum naturaliter videre, vt in se est.

,, Dices, si hæc ratio valeret, non posset Angelus inferior naturaliter videre superiorem, vt in se est; cùm non habeat tam perfectum essendi modum. Respondeo id non sequi, quia Angelus inferior cum superiori conuenit, in ratione quadam essendi eiusdem ordinis quatenus vterque est substantia creata intellectualis, immaterialis, participans

eandem compoſitionem metaphyſicam, &c.

Nota 1. Chryſoſtomum quando interdum ait Deum à nulla creatura videri poſſe, loqui de cognitione comprehenſiua, qualem ſibi arrogabant Anomæi, contra quos diſputat. 2. ex eo quòd Deus eſt obiectum noſtri intellectus, non ſequi nos poſſe naturaliter Deum videre; quia Deus clarè viſus eſt tantum obiectum noſtri intellectus, vt eleuati per auxilium ſupernaturale.

CONCLVSIO II. Beati de facto vident Deum per lumen gloriæ) Eſt de fide ſub iis terminis, vt conſtat ex Clementina, ad noſtrum, de hæreticis, vbi damnantur Begardi & Beguinæ quòd dicerent, animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum. Per lumen autem gloriæ communiter intelligitur qualitas aliqua ſupernaturalis & habitualis, qua intellectus creatus roboratur, & eleuatur vt eſſentiam diuinam clarè & intuitiuè videat. Congruum enim eſt vt creatura eleuetur per habitum quendam ſupernaturalem ad viſionem Dei, vt nimirum talis actus fiat connaturali modo, nempè à principio intrinſeco & proportionato.

Vnde refelluntur qui putant, prædictam definitionem intelligi, siue de lumine increato intellectus diuini, siue de lumine aliquo actuali, siue de specie intelligibili diuinæ essentiæ: non enim potest intellectus creatus formaliter intelligere per ipsum lumen diuinum, & ad visionem permanentem requiritur lumen permanens, idque distinctum à specie impressa diuinæ essentiæ: tum quia hæc de facto non datur in beatis; tum quia quamuis daretur, necessarium esset lumen distinctũ ex parte potentiæ.

Refelluntur etiam qui dicunt, lumen gloriæ deseruire ad solum ornatum potentiæ, vel tantúm vt obiecto clarè proposito, possit intellectus propriis viribus in illud tendere: siquidem potentia naturalis est minus improportionata, vt assurgat ad claram Dei visionem, nisi ad hoc eleuetur & iuuetur per principium aliquod eiusdem ordinis.

Nota, quòd cum essentia diuina sit intimè præsens intellectui beatorum, frustra in eodem poneretur species illius impressa; at lumen gloriæ se tenet ex parte intellectus, eumque eleuat ad visionem Dei, modo connaturali & proportionato eliciendam: quare illius defectus non ita conguè suppleri potest.

CONCLVSIO III. De potentia absoluta, Beati possunt Deum videre, sine lumine gloriæ.) Est communis extra Scholam Thomistarum, probaturque hac ratione. Nam adeò certum est Deum posse per se supplere quemcumque influxum effectiuũ causæ secundæ, dummodo non sit vitalis, vt S. Thomas 1. p. q. 105. art. 2. dicat oppositum esse erroneum: atqui influxus luminis gloriæ non est vitalis, cùm non sit à principio vitæ intrinseco, sed potius à principio quodam extrinsecùs adueniente: ergo poterit Deus per seipsum talem influxum supplere.

Confirmatur, nam Deus continet totam perfectionem & vim agendi luminis gloriæ, & aliunde non minùs conuunctus est intellectui, quam lumen ipsum ei inhærẽs; quidni ergo poterit speciali concursu illius defectũ supplere, sicut & suplet defectum speciei intelligibilis.

Nota eleuationẽ prædictam non consistere in nuda præsentia Dei, Deus enim intimè præsens est rebus omnibus, cùm tamẽ nõ omnes eleuẽtur ad actus supernaturales; sed in peculiari assistẽtia, qua Deus paratus esset concurrere cum intellectu ad visionem beatificam, ex hy-

pothesi quòd defectum luminis supplere vellet.

SECTIO II.

An possit errari intellectus cui lumen gloriæ connaturale sit.

CONCLVSIO VNICA.

NVllus potest creari intellectus cui lumen gloriæ sit naturale.) Probatur 1 quia sequeretur creaturam, cui talis intellectus conueniret, naturaliter videre Deũ clarè intuitiuè, atque adeo naturaliter esse beatam, & impeccabilem, Deumque non posse sine violentia illi denegare visionem suæ essentiæ; quæ & similia non satis cohærere videntur cum Scriptura, & Patribus docentibus Deum esse inuisibilẽ respectu creaturæ cum solum esse impeccabilem, creaturas verò omnes, quia sunt ex nihilo, peccare posse, & nõ posse obtinere beatitudinem nisi ex dono Dei, aliáque id genus quæ planè videntur intelligenda, etiam de creaturis possibilibus: præsertim cùm hoc spectet ad maiorem Dei perfectionem & eminentiam supra omnia creabilia.

Probatur 2. Nam si lumen gloriæ alicui substantiæ esset connaturale, talis substantia deberet esse supernaturalis, quod repugnat: tum quia supernaturale dicitur quod est supra exigẽtiam naturæ, qua ratione gratia, & lumen gloriæ dicuntur habitus supernaturales: Vnde id non potest dici supernaturale, quod est omnino absolutum, & prædicto respectu caret, qualis est quælibet substantia completa, siue creata, siue creabilis; tum quia explicari non potest, quo titulo aliqua substantia possit dici supernaturalis, nisi enim ei tribuãtur perfectiones diuinæ, certè quantumuis perfecta fingatur, ea variis defectibus subiacebit; cumque Deus possit creare alios, & alios Angelos in infinitum perfectiores, tandem deueniendum erit ad aliquem Angelum qui eiusmodi substantiæ perfectionem adæquet, etsi nequeat dari Angelus qui sit ordinis supernaturalis.

,, Dices 1. si supernaturalitas potest reperiri in genere minus perfecto, nempe in actione, & qualitate; cur non & in substantia, quæ est genus pefectius? Nonne vnio humanitatis cum Verbo, est supernaturalis, simulque substantialis? Respondeo rationem discriminis

inter ſubſtantiam, & accidentia, quoad ſupernaturalitatem, iam ante aſſignatã eſſe. Neque mirum videri debet, quòd non omne quòd competit generi minus perfecto, conueniat perfectiori; alias dicendũ eſſet, proprietates omnes quantitatis, qualitatis, aliorumque accidentium competere ſubſtantiæ, quod abſurdum eſt. Sicut autem non repugnat qualitas ſupernaturalis ita nec ſubſtantialis modus ſupernaturalis: quia ſicut illa, ita & iſte poteſt ſuperuenire ſubſtãtiæ crearæ, & eſſe ſupra exigentiam illius; qua ratione vnio ad Verbum, erat ſupra conditionem naturæ humanæ. At non eſt eadem ratio de ſubſtantia perfecta, & ad ſe exiſtente, vt dictum eſt.

„ Dices 2. ſi ſubſtantia ſupernaturalis non eſt poſſibilis, hoc eſt, vel quia eſt ſubſtantia, vel quia eſt creata; non primum, quia aliàs ſubſtantia diuina non eſſet ſupernaturalis: non ſecundum, quia ſic nulla qualitas creata eſſet ſupernaturalis. Reſpondeo repugnare ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt, eſſe ſupernaturalem, cùm ſupernaturale dicat intrinſecè reſpectum aliquem, qui ſubſtantiæ competere nequit. Vnde nec ipſa Dei ſubſtantia eſt propriè ſupernaturalis; quamuis talis dicatur,

quia infinitè ſuperat omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem.

SECTIO III.

An poſsit Dari & de facto detur ſpecies aliqua impreſſa Dei.

CONCLVSIO I.

NOn repugnat de potentia abſoluta dari ſpeciem aliquam impreſſam Dei.) Eſt communis contra Thomiſtas, probaturque hac ratione, quia datur in beatis ſpecies expreſſa Dei, ergo & impreſſa dari poteſt. Antecedens oſtenditur, quia cuiuſlibet intellectionis terminus intrinſecus eſt verbum mentis, ſeu ſpecies expreſſa rei intellectæ; at viſio Dei eſt vera intellectio: ſequela patet, quia ſi repugnat dari ſpeciem impreſſam Dei, hoc eſt maximè quia repugnat dari finitam aliquam, & perfectã ſimilitudinem eſſentiæ Dei infinitæ. At hæc ratio nullius eſt momenti, ſiquidem ſpecies expreſſa melius obiectum repræſentat, cum ſit formalis expreſſio & veluti imago illius, quam impreſſa, quæ

tantum est quædam qualitas, tribuens intellectui vim effingendi prædictam similitudinem obiecti.

„ Dicunt aliqui, parem esse rationem vtrobique : quare in beatis negant tam speciem expressam , quàm impressam. Sed frustà, nam communi Philosophorum sensu, intellectio nihil est aliud quàm actualis quædam assimilatio inter intellectum & rem intellectam; quæ nõ sit secundum esse reale, vt constat, intellectus enim non fit reipsa lapis, dum concipit lapidem: sed per expressionem rei intellectæ, quæ nihil aliud est quàm verbum mentis, seu species expressa, de qua loquimur: & propter quam Aristoteles interdum ait, intellectum in actu esse rem ipsam quæ intelligitur. Itaque cùm visio beatifica sit vera intellectio, negari non potest, quin per illam species expressa producatur. Eo vel maximè, quia eiusmodi species est terminus intrinsecus intellectionis , sicut calor calefactionis : quare sicut repugnat reperiri calefactionem, sine calore, ita intellectionem sine verbo mentis seu specie expressa.

Nota 1. quòd etsi Filius & Spiritus sanctus nullum producant Verbum, non sequitur esse aliquam intellectionem

ſine verbo mentis: quia eorum intellectio eadem eſt cum intellectione Patris, quæ non eſt ſine Verbo.

Nota 2. repugnare quidem, quòd Deus à forma aliqua creata accipiat vim illã intrinſecam & ſubſtantialem quam habet, concurrendi ad ſui viſionem inſtar ſpeciei; nihil tamen obeſſe, quominus poſſit Deus producere ſpeciem aliquam impreſſam, per quam habet intelligibilitatem quandam extrinſecam. & accidentariam.

CONCLVSIO II. Non datur de facto in beatis ſpecies aliqua impreſſa Dei, ſed ipſa diuina eſsẽtia ſe habet inſtar ſpeciei impreſſæ quoad viſionem beatificam.) Ratio eſt, quia non requiritur ſpecies impreſſa quãdo obiectũ eſt per ſe preſens intellectui, & non minùs eſt immateriale quàm ipſa ſpecies: Deus autẽ eſt per ſe præſentiſſimus intellectui beatorũ, & immaterialiſſimus, ergo nulla ſpecies impreſſa concurrit de facto ad viſionẽ Dei, ſed eſſentia diuina ſe habet inſtar ſpeciei, ſeipsã immediatè repræſentando intellectui beatorum.

Nota 1. Viſionem beatificam vt eſt à Deo, poſſe dupliciter conſiderari 1. vt eſt ab illo ſpecialiter concurrente per modum obiecti. 2. vt etiam eſt ab illo con-

currente per modum causæ primæ & vniuersalis: ac priori modo esse necessariam, quia essentia diuina etiam, vt ratione antecedit liberum decretũ Dei, potest, gerere vices speciei, seipsam immediatè repræsentando intellectui, cui intimè coniuncta est: posteriori autem adeóque simpliciter esse liberam, cum possit Deus denegare generalem concursum, ad eam planè necessarium. Quare ad saluãdam libertatem visionis beaficæ, ex parte Dei, non opus est recurrere ad speciem aliquam expressam, liberè à Deo productam.

Nota 2. quòd etsi relatio diuina per se loquendo, habeat vim seipsam repræsentandi intellectui creato sine vlla specie media: impossibile tamen est quod intellectus creatus eam actu videat, nisi Deus per concursum generalem liberè exhibitum: adeóque tota Trinitas ad talem visionem concurrat. Vnde præmissa conclusione nihil sequitur, contra vulgatum illud, Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

,, Nota 3. etsi vt visio beatifica fiat modo connaturali, requiratur lumen gloriæ, non tamen speciem impressam adhoc necessariã esse: quia cum obiectũ visionis non sit ratio agendi ipsius po-

tentiæ, sed potius comprincipium illius, ad eandem operationem tendens, satis est quod secundum se, sit coniunctum potentiæ, & ab ea indistans. Nec refert, quod obiecta corporea non videantur, nisi per species; hoc enim est per accidens, eò quòd non possunt per se vniri potentiæ visiuæ.

SECTIO IV.

Quid de facto Beati videant & videre possint in Deo.

CONCLVSIO I.

POssunt Beati formaliter vi visionis videre in ipso aliquas creaturas, non tamen omnia possibilia.) Prior pars probatur 1. ex August. qui 11. de Ciuit. Dei cap. 7. & 29. duplicem agnoscit in sanctis Angelis creaturarum cognitionem, aliam matutinam seu in Verbo, aliam vespertinam, seu extra Verbum per proprias rerum species. 2. ratione, nam essentia diuina ex se est repræsentatiua creaturarum, vt ex eo manifestum est, quod Deus in seipso videt creaturas ex infrà dicendis, quidni ergo poterit adeò intendi lumen beatificum, vt vi

illius beatus cognoſcat in Deo creaturas aliquas ?

Poſterior pars ſuadetur, nam ſolus ille intellectus qui cauſam comprehendit, poteſt in ea cognoſcere omnes illius effectus, hoc enim eſt totam virtutem cauſæ cognoſcere, adeóque eam comprehendere: at nullus intellectus creatus poteſt Deum comprehendere ex dicendis capite ſequenti, ergo neque poteſt in illo omnia poſſibilia videre.

,, Dices, ex cognitione omnium poſſibilium, non bene colligi intenſiuam Dei comprehenſionem, ſed tantum extenſiuam, quam non eſt certum, intellectui creato eſſe impoſſibilem. Reſpondeo intenſiuam etiam colligi, quia etſi ex cognitione omnium effectuũ in ſeipſis, cognoſcitur virtus cauſæ extenſiuè dumtaxat, ex cognitione tamen omnium effectuum in cauſa rectè deducitur à poſteriori, comprehenſio intenſiua ipſius cauſæ. Cum eo modo non cognoſcantur alij, & alij effectus, niſi quia cauſa magis, ac magis in ſe penetratur; ac proinde tota virtus cauſæ perfectè penetranda ſit, vt per illam cognoſcatur, quidquid ab ea oriri poteſt.

Nota 1. illud videri confusè, quòd videtur in alio vt in imagine vel tãquam

in causa, in qua perfecte non continetur; at creaturæ omnes in Deo continentur perfectè, vsque ad vltimas differentias indiuiduales, non autem in causis secundis à quibus dependent.

Nota 2. etsi maius sit videre Deum, quàm videre omnia possibilia extra Deum, minus tamen esse videre Deum solum, quàm simul videre Deum & in eo creaturas aliquas: hoc enim posterius non fit, nisi magis penetrando diuinam essentiam.

Ex dictis collige, tã exiguã esse posse Dei visionem, vt nulla creatura particularis distinctè in eo videatur: cùm necesse non sit omnes videri, nec sit ratio, cur magis vna possit occultari, quàm alia. Probabile tamen est, quemlibet beatum cognoscere creaturas aliquas possibiles, plures aut pauciores iuxta gradũ beatitudinis quem quisque possidet: cùm hoc valde congruum videatur statui beatifico, & ad maiorem illius perfectionem spectet.

CONCLVSIO II. Non repugnat res omnes futuras videri à beatis in essentia Dei, quamuis non sit necessè vt omnes videantur.) Prima pars probatur, tum quia nulla afferri potest causa repugnantiæ, tum quia omnes Theolo-

gi cõmuniter docent cum S. Thoma 3. p.q.10. animam Christi videre in Verbo omnia quæ Deus nouit sciétia visionis.

Secunda pars ostenditur, tum quia Theologi cognitionem omnium futurorum soli animæ Christi inter creaturas tribuunt, tum quia ex communi eorum doctrina Angeli inferiores à superioribus illuminantur, tum quia varias assignant regulas quibus dignoscatur quidnam ex rebus creatis Beati in Verbo videant, aut non videant.

Quæres quasnam ex rebus creatis Beati de facto videant in Deo. Respondeo 1. eos videre species omnes, & genera rerum creatarum, totumque ordinem vniuersi ex S. Thom. 1. p.q. 12. art. 8. ad 4. Item mysteria gratiæ quæ hic Deo obscurè reuelante crediderunt, vt ex 2. 2. q. 1. art. 5. colligi potest. 3. quæ pertinent ad eorũ statum vt sumitur ex 3. p.q. 10 art 2. Quorũ ratio est, quia æquum videtur vt in beatitudine omne desiderium honestum expleatur.

Nota 1. visionem beatificam esse omnino inuariabilem, sicut & merita propquæ datur, & lumen per quod elicitur: vnde beari ab instanti beatitudinis vident quidquid vnquam vi illius visuri sunt; quod si successu temporis

aliqua cognoſcunt quæ priùs non nouerant, ea cognitio fit per reuelationes particulares extra viſionem beatificam.

„ Hinc autem intelligis, cur dicat S. Thomas 1. p. quæſt. 10. art. 5. ad 1. creaturas ſpirituales, quantum ad viſionem gloriæ, participare æternitatem: quia nimirum, vt ſic, ſunt prorſus immutabiles.

„ Dices, eſſentia diuina eſt ſpeculum voluntarium: ergo poteſt modo vnam, modo aliam creaturam repræſentare. Reſpondeo, id quidem poſſe abſolutè, ſed non per eandem viſionem: quia effectus formalis ita eſt commenſuratus ſuæ formæ, vt quamdiu hæc in ſubiecto manet, totalis & adæquatus illius effectus impediri nequeat Quare eo ipſo quòd ille augetur, aut minuitur, neceſſe eſt variationem aliquam in ipſa forma intercedere.

Nota 2.. rationem quare vnus beatus cum tanto lumine videat, verbi cauſa has decem creaturas, & non alias decem, proximè ſumendam eſſe, vel ex ratione indiuiduali talis luminis, vel potiùs ex determinato Dei influxu, remotè verò ex eo quòd res quæ videntur, ſpectant ad ſtatum beati, non aliæ.

CONCLVSIO III. Beati vident

de facto quidquid est formaliter in Deo, neque de potentia absoluta Deum aliter videre possunt.) Prior pars probatur, tum ex verbis illis 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est: tum ex Concilio Florentino in litteris vnionis vbi id definitum fuit: tum ratione, nam visio beatifica, omnium consensu est clara & distincta Dei notitia, qualis non esset, si non videretur quicquid est formaliter in Deo. Deus etiã non esset simplicissimus, si eo modo non videretur. Vnde colligi potest videri in Deo ea attributa quæ dicunt quendam respectum rationis ad creaturas, secundum intrinsecam & absolutam perfectionem quam habent, etsi non videantur distinctè omnia obiecta ad quæ terminãtur, sed tãtùm in cõfuso.

Posterior pars suadetur, nam essentia diuina est vna entitas simplicissima cum attributis, & cum tribus personis; ergo illa clarè videri nequit, quin reliqua videantur. Confirmatur, nam attributa sunt de conceptu quidditatiuo diuinæ essentiæ, relationes verò vel sunt de intrinseco illius conceptu, vel ab ea essentialiter postulantur, tanquam sibi perfectè identificatæ; at nihil potest clarè vt in se est videri, quin videatur id quod est de ipsius essentia, aut cum

quo essentialiter identificatur.

„ Dices, rationem istam non concludere, quia potest videri color, vt in se est, etsi non videatur ratio qualitatis, dependentiæ à Deo, & similia quæ cum eo identificantur. Poterit ergo diuina essentia, vt in se est, videri, etsi attributa non videantur Respondeo negando cõsequentiam, & ratio discriminis est, quia colorem ab oculo corporeo videri, vt in se est, nihil est aliud quàm, eum videri vt visibilis est: non est autem visibilis in ratione qualitatis, &c. At verò rem aliquam ab intellectu videri, vt in se est, idem est ac eam cognosci, quatenus intelligibilis est: essentia autẽ diuina est intelligibilis, non modo secundum rationem essentiæ, sed etiam secundum rationes attributales. Quare potest oculus corporeus videre coloré, vt in se est, etsi non cognoscat in illo rationem qualitatis, vel dependentiæ à Deo: nisi tamen attributa cognoscantur, dici nequit, essentiam diuinam cognosci, vt in se est.

Nota 1. quod communicabilitas ad intra est proprietas naturæ, non paternitatis, cum hæc repugnet Filio, non illa. At communicabilitas ad extra in ordine ad visionem, seu intelligibilitas, cum sequaturens, est proprietas totius

entis diuini: quare si videtur essentia, nulla ratio est cur visio ad eam solam terminari debeat.

Nota 2. vnionem hypostaticam respicere personam verbi vt subsistentem, quare cum Verbum habeat subsistentiã realiter distinctam à subsistentiis aliarum personarum, non est necesse quod omnes simul incarnentur; at visio beatifica fertur in Deum prout est intelligibilis, quod habet secundum omnes perfectiones suas, tam absolutas quàm relatiuas; quare non est ratio cur vna possit videri sine alia.

,, Nota 3. essentiam diuinam vno modo esse speculum necessarium, alio liberum. Dicitur speculum necessarium, quatenus suam essentiam ostendens, non potest occultare attributa essentialia, aut relationes personales, Liberum verò, quatenus ex futuris contingentibus, potest hæc, vel illa beatis manifestare, vt libuerit.

SECTIO V.

De Incomprehensibilitate Dei, & Ineffabilitate eius.

CONCLVSIO I.

ETsi Deus aliquatenus à beatis comprehendatur, propriè tamen est in

comprehensibilis.) Prima pars probatur, nam comprehendere latè spectatum opponitur insecutioni; ita vt qui iam attingit aliquid quod antea insequebatur, dicatur illud comprehendere: at beati mēte tenent Deū quem in via insequuti sunt: ergo eo sensu eum comprehendunt, vnde & vulgò comprehensores dicuntur.

Item iuxta August. epist. 112. illud comprehenditur quod ita videtur, vt nihil illius lateat videntem: at nihil Dei latet beatos, cùm videant omnes illius perfectiones intrinsecas, siue absolutas, siue respectiuas; ergo eatenus Deū comprehendunt.

„ Secūda pars suadetur tum ex Script. quæ docet Ierem. 32. Deum esse incomprehensibilem cogitatu, quod intellige passiuè seu respectu cogitationis in alio existentis, Deus enim non sibi est incomprehensibilis: tum ex capite si firmiter, vbi idem statuitur: tum ratione S. Thomæ 1. p. q. 12. art. 7. quæ hoc modo proponi potest. Tunc res aliqua propriè ab intellectu dicitur comprehendi, quando tam perfecte cognoscitur, quantum ex parte sua cognoscibilis est, licet adhuc per cognitionem ex se perfectiorem cognosci possit: sic enim

intellectus ita intimè eam peruadit & penetrat, vt ſit adæquatio inter cognitionem & obiectum cognoſcibile, ſecundum totam cognoſcibilitatem quã habet: quod proinde omni ex parte veluti concluditur & comprehenditur: vnde qui nouit propoſitionem demonſtrabilem, per medium tantùm probabile, illam proprie non comprehendit, vt monet S. Doctor ſupra ad 2. quia licet cognoſcat quidquid eſt in illa propoſitione; nimirum ſubiectum, prædicatum, & copulam, non tamen eam cognoſcit, eo modo perfectiſſimo, quo ipſa petit cognoſci ex natura ſua; videlicet per medium demonſtratiuum. Atqui nullus intellectus creatus poteſt Deum, tam perfectè cognoſcere quantum ex ſe cognoſcibilis eſt; quia res quælibet ita ſe habet ad cognoſcibilitatem, ſeu intelligibilitatem, ſicut ad entitatem: Deus autem habet entitatem eſſentialiter infinitam ex ſupradictis, ergo & infinitam intelligibilitatem, cui proinde nulla vis intelligendi creata, vtpote eſſentialiter finita, æquari poteſt.

CONCLVSIO II. Etſi Deus pleraque nomina propria habeat, propriè tamen eſt ineffabilis, & innominabilis reſpectu noſtri, quatenus nullum

nomen possumus illi imponere quod ipsius quidditatem perfectè repræsentet.) Prior pars ostenditur, nam quædam perfectiones, nempe simpliciter simplices sunt in Deo propriè; ergo & nomina tales perfectiones significantia ei propriè competunt, quod intellige rem ipsam spectando per nomina significatam, non autem modum significandi, qui varias imperfectiones inuoluit, vt posteà dicemus.

Intellige etiam Deum habere nomina propria, quatenus proprium opponitur non tantùm metaphorico, sed etiam communi: ita vt quædam sint nomina ipsi soli competentia, qualia sunt nomina Deus, Qui est, Iehoua, de quorum significatione agit S. Thomas 1.p.q.11. variis articulis.

„ Hic solùm nota, ex art. 11. nomen, Qui est, triplici de causa esse maximè proprium nomen Dei 1. propter eius significationem, vnumquodque enim denominatur à sua forma; at nomen, Qui est, significat ipsum esse, quod soli Deo conuenit per essentiam. 2. propter eius vniuersalitatem; nullum enim essendi modum determinat, sicut alia nomina, sed generatim omnes complectitur, & significat ipsum pelagus infinitum diui-

næ ſubſtantiæ. 3. propter eius conſignificationem, ſignificat enim, eſſe in præſenti, quod maximè propriè de Deo dicitur; quia eius eſſe non nouit præteritum, vel futurum, vt docet Auguſtinus 5. Trinit. 2.

Poſterior pars probatur. 1. ex Script. Nam Paulus ad Eph. 1. ait Deum eſſe ſuper omne nomen quod nominatur, ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro. Item ex Patribus qui vno ore ineffabilitatem Dei inculcant, paſſimque celebrant dictum illud Platonis, Deum intelligere difficile eſt, loqui autem impoſſibile: vnde in Concil. Later. ſub Innoc. III. ſtatutum eſt Deum eſſe ineffabilem, vt refertur in cap. firmiter.

Tandem accedit ratio, quia cùm res nominemus prout illas concipimus, nequeamus autem Deum in hac vita concipere, vt in ſe eſt, ſequitur non poſſe à nobis excogitari aliquod nomen, quod illius quidditatem & eſſentiam, prout in ſe eſt exprimat, vt concludit S. Thomas eiuſdem quæſt. art. 2. eò vel maximè quod nullum nomen Deo à nobis imponi poteſt; quod non includat imperfectionem aliquam in modo ſignificandi, nam verbi cauſa, nomen, Deus, ſignificat per modum compoſiti ſubſtantialis ex natura, &

ſuppoſito: nomen bonus, ſapiens, iuſtus, &c. per modum compoſiti ex ſubiecto, & accidenti; nomen verò bonitas, ſapientia, iuſtitia, per modum entis incompleti.

SECTIO. VI.

De inæqualitate viſionis.

CONCLVSIO I.

INter viſiones beatorum nulla eſt inæqualitas ſpecifica, non tamen omnes beati ſunt æquales in perfectione beatitudinis eſſentialis.) Prima pars probatur contra Maiorem, tum quia gloria reſpõdet gratiæ, at hæc eſt eiuſdem ſpeciei, in omnibus beatis, ergo & illa: tum quia tunc actus ſunt eiuſdem ſpeciei, quando concurrunt principia eiuſdem ſpeciei, idemque modus tendendi in obiectum primarium, quod hic contingit; cùm omnes beati eleuẽtur ad viſionem beatificam per lumen eiuſdem rationis, tendantque ad videndum Deum clarè vt in ſe eſt; tum denique quia quantumuis viſio aliqua

creata

creata perfecta sit, potest alia longè inferior adeò intendi. vt ad eius, perfectionem pertingat; quod tamen fieri nõ posset si distinguerentur specie.

Vnde intelligis non tantum visiones hominum beatorum esse eiusdem speciei inter se, sed etiam collatas cum visionibus Angelorum. Siquidem non obstante differentia specifica, quæ ex communiori sententia reperitur inter intellectum humanum & Angelicum, vterque per lumen gloriæ, eodem modo eleuatur ad videndum Deum vt in se est; & præterea fieri potest vt homo æquè perfectè videat Deum ac Angelus, imò perfectiùs, vt constat de facto in Christo, atque etiam in beata Virgine, quæ exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna.

,, Dices; quod visiones beatificæ ferantur in Deum, vt in se est, id non sufficit, vt omnes sint eiusdem speciei; quia aliàs sequeretur, ipsam visionem increatam, qua Deus seipsum, vt in se est, contemplatur, esse eiusdem speciei cum nostra. Respondeo negando id sequi, quia visiones beatorum tendunt ad videndum Deum, vt in se est, modo essentialiter finito, & non comprehensiuo: at Deus seipsum videt, modo essentiali-

ter infinito,& comprehenſiuo; qui duo modi pluſquam ſpecie differunt.

Secunda pars certa eſt ex fide,& probatur 1. ex verbis illis Ioan. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt quæ cõmuniter à Patribus intelliguntur de inæquali participatione gloriæ, vt & illa 1. Corint. 13. Sicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum 2. ex Concil. Florentino in litteris vnionis vbi id definitum fuit 3. ratione, nam in ſanctis ſunt merita valde inæqualia, vt perſpicuum eſt, ergo & gloria inæqualis iuxta illud Apoſt. 1. Corinth. 13. vnuſquiſque mercedem propriam accipiet ſecundum ſuum laborem.

,, Dices 1. cum Iouiniano, omnibus etſi inæqualiter in vinea laborantibus, redditam eſſe, Matth. 20. æqualem mercedem, nempe ſingulis vnum denarium, per quem intelligitur beatitudo. Reſpondeo ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 5. art. 2. ad 1. per denarium intelligi beatitudinem obiectiuam quæ vna eſt omnium; non formalem, in qua inæqualitas contingit.

,, Dices 2. beatitudo eſt ſummum bonum cuiuſque beati; at non poteſt aliquid eſſe maius ſummo bono ergo re-

pugnat quòd vnus sit beatior alio. Respondeo, beatitudinem formalem non tam esse summum bonum, quàm participationem summi boni; qua non repugnat aliquid dari maius, vel intensius.

CONCLVSIO II. Visio beatifica omnino commensuratur cum lumine gloriæ, ita vt duo habentes æquale lumen æqualiter Deum videant, etsi quoad intellectum sint inæquales.) Probatur 1. à posteriori, quia si visio Dei non commensuraretur cum solo lumine gloriæ, sequeretur eam non tribui iuxta proportionem meritorum, quod fidei repugnat: sequela ostenditur, quia si duo quoad intellectum inæquales habeant merita æqualia, vterque recipiet æquale lumen: vnde si cum æquali lumine potest intellectus perfectior meliùs Deum videre, qui perfectiorem habet intellectum erit beatior, etsi non habeat maius lumen, aut maiora merita.

Probatur 2. à priori, nam intellectus creatus quantumuis perfectus, nihil ex se potest ad visionem beatificam sine lumine gloriæ; quare quod magis aut minùs Deum videat, hoc non potest oriri nisi ex maiori vel minori lumine gloriæ: sequela patet, quia vt se habet

ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis, ad magis, vt inquiunt Philoſophi. Confirmatur, nam tota viſio Dei eſt ſupernaturalis, quod falſum eſſet, ſi pars tantum illius aliqua reſponderet lumini gloriæ, alia verò perfectioni naturali ipſius intellectus.

„ Nota 1. quantitatem actionis ſumi à quantitate cauſæ totalis & completæ, quando vtraque cauſa ex ſe aliquid poteſt ad effectum; non autem ſi vna nihil poſſit, niſi quatenus eleuatur ab alia. Vnde cum intellectus creatus nullo modo poſſit Deum videre, ſine lumine gloriæ, ſequitur quantitatem, ſeu perfectionem viſionis beatificæ non eſſe deſumendam, à nobiliori intellectu, ſed à maiori lumine.

„ Nota 2. non mirum eſſe quòd viſus acutior meliùs videat colorem, cum æquali lumine, ſiquidem lumen corporeum non ſe tenet ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti. At vero lumen gloriæ ſe tenet ex parte potentiæ, eamque eleuat ad actum ſuperantem vim eius naturalem: quare nequit illa agere, niſi iuxta porportionem talis eleuationis.

CAPVT IV.

De scientia Dei, eiusque obiecto.

SECTIO I.

An detur in Deo, & quid cognoscat.

CONCLVSIO I.

IN Deo ponenda est vera aliqua scientia quæ sit per modum actus secundi, eaque vnica seu simplicissima) Ac 1. quòd in Deo sit vera aliqua scientia, certum est ex fide, vt satis patet ex Scripturis. Hester. 14. Domine qui habes omnem scientiam. Roman. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: aliisque locis. Ratio autem est quia cùm Deus sit ens perfectissimum, in perfectissimo gradu entis constitui debet, nempe in gradu substantiæ, & vitæ intellectualis. Confirmatur, nam cognitio intellectualis, est quædam perfectio simpliciter simplex, imò inter rerum perfectiones potissima, cùm per illam co-

gnoſcens fiat quodammodo omnia: ergo non poteſt denegari Deo entium perfectiſſimo.

Secundò quod ſcientia diuina ſit per modum actus ſecundi, facilè probatur, quia ſi eſſet per modum actus primi, eſſet potentia elicitiua actus ſecundi, illiuſque receptiua, quod repugnat puritati, & ſimplicitati diuinæ.

Neque dicas actum ſecundum dicere ordinem ad primum: hoc enim verum eſt de actu ſecundo qui ſe habet per modum actionis elicitæ, & receptæ; at intellectio diuina non ita ſe habet à parte rei, ſed per modum per ſe ſubſiſtẽtis, & idẽtificatæ cum ſubſtantia diuina; quamquam iuxta conceptum noſtrum, intellectio diſtinguatur in Deo ab intellectu, & hic à ſubſtantia, vt patet ex aliàs dictis.

Tertió quòd ſit vnica ſimpliciſſima probatur, quia licet ratione obiectorum variæ à nobis ſcientiæ diſtinguantur in Deo, tamen à parte rei eſt vnica, eò quòd identificatur cum eſſentia diuina, quæ vnica & ſimpliciſſima eſt Deinde vt attingit Deum ſimpliciſſimum eſt ſimpliciſſima. Item vt fertur in res poſſibiles, quia illas videt in Deo: ac denique vt verſatur circa futura, quia ad

hoc non indiget aliqua entitate superaddita, sed tantum quod res sint futuræ: vnde adæquatè spectata vnica est & simplicissima.

CONCLVSIO II. Scientia Dei est perfectissima, & vniuersalissima.) Quòd sit perfectissima multipliciter ostenditur, nam Deus vitam intellectiuam possidet modo perfectissimo, ipse est obiectum suæ scientiæ ab ea comprehensum, cùmque infinito lumine præditus sit, eius scientia continet euidentiam, certitudinem, omnesque perfectiones scientiæ creatæ; denique modus quo res cognoscit est perfectissimus, tum quia est sine discursu, siue secundum successionem, siue secundum causalitatem, quia omnia videt in seipso; tum quia est sine compositione, eò quòd essentia diuina potest simul repræsentare subiectum, & quidquid subiecto competit: tum quia est plane inuariabilis, non tantum entitatiue, seu quatenus identificatur cum essentia diuina, sed etiam formaliter in ratione sciétiæ; quia cùm Deus sit infinite intelligens, repugnat quòd aliquid ignoret, aut quòd in cognitione rei anteà perceptæ proficiat.

Quòd etiam sit vniuersalissima hinc perspicuum est, quia consummatam

Dei perfectionem attinet, quòd illius scientia se extendat ad omnia scibilia, eaque comprehendat. Confirmatur, nam quidquid est intelligibile, vel est Deus, vel est creatura aliqua; siue possibilis, siue existens. At hæc omnia à Deo cognosci ex dicendis manifestum fiet: quãdo autem S. Tho. 1. p. q. 14. art. 1. ad 3. negat scientiam Dei esse vniuersalem, aut particularem, vult dicere eam non respicere rationes tantum vniuersales, aut particulares duntaxat: quod non impedit, quin alio sensu sit vniuersalis, quatenus nempe rationes tam vniuersales, quàm particulares contemplatur.

CONCLVSIO III. Deus seipsum cognoscit, imò & comprehendit, cognoscit etiam possibilia, per scientiã quam vocant simplicis intelligentiæ.) Prima pars probatur, quia scientia Dei cum sit infinita, se extendit ad omnia intelligibilia, & aliunde Deus est maximè intelligibilis, sibique summè vnitus, ergo seipsum intelligit. Confirmatur, nam nullum est obiectum magis proportionatum scientiæ Dei, quàm ipsemet Deus; ergo vel nihil, vel seipsum intelligit.

Secunda pars ostenditur, tum quia

1. Cor. 2. dicitur Spiritum, scilicet sanctum, omnia scrutari etiam profunda Dei: tum quia sicut Deus, quia est infinitè perfectus, est infinitè cognoscibilis, ita ob eandem rationem est infinitè cognoscitiuus; ac proinde cùm sit adæquatio inter cognitionem, & cognoscibilitatem illius, se cognoscit quantùm cognoscibilis est, quod est seipsum comprehendere ex supradictis.

„ Dices, S. Thomas. 1. p. quæst. 12. art. 3. ait tunc aliquid comprehendi, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; Deus autem non habet finem cognitionis ipsius; Deus autem non habet finem cognoscibilitatis suæ: ergo non potest à se ipso comprehendi. Confirmatur, quia Augustinus ibidem relatus, ait, id quod comprehendit se, finitum esse sibi. Respondeo prædicta non esse intelligenda positiuè sed negatiuè: non enim est sensus, id quod comprehenditur, debere esse finitum positiuè, sed nihil esse in illo, quod non cognoscatur: ita vt cognoscibilitas rei non excedat cognitionem, quam intellectus de illa habet. Vnde cùm Deus seipsum perfectè cognoscat, potest dici eo sensu finitus sibi, licèt simpliciter sit infinitus.

Tertia pars ſuadetur 1. quia Deus Rom.4. vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſuut. 2 quia ſcientia Dei nõ minùs latè patet quam illius potentia: hæc autem ſe extendit ad omnia poſſibilia, ergo & illa. Confirmatur; nam Deus ſuam omnipotentiam comprehendit ex dictis, ergo nouit omnes effectus ab ea producibiles. Idque ſecundum eſſe proprium, & formale quod in ſeipſis extra Deum habere poſſunt: tale enim eſſe eſt obiectum diuinæ omnipotentiæ, non autem illud quod habent in Deo; cum hoc ſit ipſamet eſſentia Dei omnino improducibilis, & incorruptibilis.

,, Dices, ſcientia Dei non terminatur ad nihil, ſed ad aliquid reale; at res poſſibiles nihil ſunt reale. Reſpondeo rẽ poſſibilẽ nihil eſſe reale actu, eſſe tamẽ aliquid reale in potentia: quatenus ipſa ex ſe dicit non repugnantiã, vt fiat vera entitas realis, & actualis: & in Deo eſt ſufficiẽs virtus ad eam è nihilo eruendã.

,, Quòd ſi inſtes, obiectum ſcientiæ diuinæ debere actu exiſtere. Reſpondeo id verum eſſe de obiecto primario, quod motiuum vocant non autem de obiecto ſecundario, & pure terminatiuo, qualia sũt entia poſſibilia: ad hoc enim obiectũ ſufficit, vt habeat tale eſſe, quale requiri-

tur ad veritatem ſcientiæ : at Deus non cognoſcit res poſſibiles vt habentes eſſe actu, ſed tantùm in potentia: quare hoc ſufficit, vt ſcientiam diuinam terminét : ſicut etiam roſa poſſibilis terminat ſciétiam, quam Angelus de illa habet.

CONCLVSIO IV. Deus per ſcientiam, quam vocant viſionis, cognoſcit res omnes exiſtentes in aliqua differentia temporis, ac ſpeciatim contingenter futuras.) Prima pars probatur primò ex verbis illis Geneſ. 1. Vidit Deus cũcta quæ fecerat, quibus adde illa Iob 28. Ipſe enim fines mũdi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt reſpicit.

Secundò ratione. Nam Deus ſuam potentiam & voluntatem comprehẽdit, ergo videt omnes effectus qui ab ea pendent; preſertim quia cùm ſit agens per intellectum, negari non poteſt quin cognoſcat quæ ipſe facit; ſiue per ſe ſolum ſiue ſimul cum cauſis ſecundis. At quidquid quouis tempore exiſtit, à Deo procedit, altero ex his modis; ergo id totum ab eo cognoſcitur. Confirmatur, nam Deus habet perfectiſſimam rerum prouidentiam ex infrà dicendis, adeóque illas ordinat in ſuos fines, quod præſtare non poſſet ſi illas non cognoſceret.

„ Dices 1. contingens est quod creaturæ existant, & consequenter quod cognoscantur vt existentes : quare si earum scientia ponatur in Deo, ea erit contingens, & mutabilis. Respondeo scientiam Dei circa futura, esse simpliciter necessariam, quoad entitatem : quoad terminationem verò non esse simpliciter necessariam, sed tantùm ex suppositione quòd res existant.

„ Dices 2. ex Hieron. cap. 1. Habac. absurdum esse ad hoc deducere diuinam maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur. Respondeo sensum esse, vt patet ex sequentibus, Deum non habere æqualem curam de irrationalibus, ac de hominibus : quo etiam sensu ait Paulus 1. Cor. 9. Nunquid de bobus cura est Deo ?

„ Dices 3. ex August, in Enchirid. cap. 17. melius esse quædam nescire, quàm scire, Respondeo hoc melius esse, quando eorum cognitio impedit notitiam rerum perfectiorum, vel ad malum inducit. Quod in nobis contingere potest non in Deo.

Secunda pars ostenditur 1. ex verbis illis Psal. 138. Intellexisti cogitationes meas de longe, id est, ab æterno, & ex

illis Isaiæ 41. Annũciate quæ vẽtura sũt in futurũ, & sciemus quia Dij estis vos.

Secundò Deus est infinite cognoscitiuus, ergo illius cognitio se extendit ad omnia intelligibilia: atqui actus cõtingenter futuri, sicut vere sunt futuri, ita vere sũt intelligibiles; ergo intuitus diuinus ad eiusmodi actus se extendit.

Tertiò Deus cognoscit actus liberos nostræ volũtatis quãdo existunt, vt patet ex dictis; ergo & quãdiu futuri sũt, quia aliàs mutaretur. Hinc Deus eiusmodi futura perfecte nouit ab æterno, cùm ab æterno sint vera, neque ipse possit de nouo aliquid addiscere in tempore.

Nota futura contingentia esse indifferentia ad vtrumlibet, vt sunt in suis causis, & sic non posse certò cognosci, etiam à Deo, vt ex infrà dicendis magis patebit; esse tamen in seipsis determinate vera, & ita à Deo cognosci; vnde Christus prædixit peccatum Petri, vt determinate futurum; quamuis in se Petrus indifferens ad peccandum, aut non peccandum, manserit.

CONCLVSIO V. Deus cognoscit nonentia, cognoscit etiam mala, idque per bonitatẽ formæ, vel actus quo priuant.) Prima pars suadetur distinguẽdo varios gradus non entis. Nam in pri-

mis non ens dicitur quod actu non existit, vt possibilia quæ nunquam erunt, & futura quæ aliquando existent; & ista à Deo cognosci iam ostensum est.

Secundò negationes & priuationes dicuntur non entia, & hæc etiam nouit Deus, idque simplici intuitu tum quia comprehendit cognitionem quam nos habemus de eiusmodi non entibus: tum quia aliàs non cognosceret omne verũ, verbi causa hominem non esse leonem, aërem noctu esse tenebrosum, & sic de aliis.

Tertio entia rationis dicuntur non entia, & hæc etiam à Deo cognoscuntur, quia cùm perfectè intellectum nostrum comprehendat, bene nouit entia rationis quæ à nobis effinguntur. Vnde etsi non sint in illius intellectu subiectiuè propriè loquendo, sunt tamen in eo obiectiuè.

Nota conceptum quem intellectus noster format de chimera esse ens reale, sicque ab essentia diuina perfectè repræsentari, non tamen propterea à Deo propriè fingi ens rationis; quia ex cõmuniori sententia, tunc fit ens rationis, quando concipitur aliquid impossibile, ac si verè esset possibile, & non ens, ac si verè esset ens: vt dum consideramus

tenebras tanquam ſpatium aliquod obſcurum, & cæcitatem per modum cuiuſdam formæ poſitiuæ oculum afficientis. Deus autem non aliter ſingula intelligit quàm ſint, ideóque impoſſibilia & fictitia cognoſcit per diſſenſum, negãdo ea eſſe, aut eſſe poſſe à parte rei, quæ nos vt poſſibilia, aut exiſtentia effingimus.

Secunda pars ex eo manifecta eſt, quia duplex eſt malũ, aliud pœnæ, aliud culpæ, prius cauſatur à Deo, poſterius permittitur: quare vtrumque ab illo cognoſci debet. De priori intelligitur illud Amos 3. Si eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus. De poſteriori verò illud Pſal. 50. Et malum coram te feci. Neque refert illud Habac. 1. Mũdi ſunt oculi tui, ne videant malũ: ibi enim videre ſumitur pro approbare.

,, Tertia pars intelligitur de malis quæ conſiſtunt in priuatione, & ſic facilè probatur, nam priuatio cognoſcitur per ſuum oppoſitum, vt cæcitas, per viſum, tenebræ, per lumen: & peccatum omiſſionis, per actum præceptum, qui prætermittitur. An autem peccatum cõmiſſionis formaliter ſpectatum, per formam oppoſitam intelligatur, pendet ab illa quæſtione, de qua in 2. cap. 2. an talis peccati malitia conſiſtat in priuatione.

SECTIO II.

De modo quo Deus res cognoscit maximè contingentes.

CONCLVSIO I.

DEus res intelligit per suam essentiam, tamquam per speciem, & in ipsa tanquam in obiecto prius cognito.) Prior pars ostenditur.1.quia si Deus non intelligit res per suam essentiam, tanquam, per speciem, oportet vt eas intelligat per aliquas species extrinsecùs aduenientes quæ proinde recipiantur in intellectu diuino, illiusque cognitionem causent; at hæc & similia in Deo locum habere non possunt, vt manifestum est.

Secundò cùm Deus necessariò cognoscat creaturas omnes possibiles, si eas cognosceret per aliquam speciem distinctam à sua essentia, sequeretur eiusmodi speciem habere omnimodam existendi necessitatem, & à Dei arbitrio prorsus esse independentem.

Posterior pars suadetur, nam si Deus

non videret creaturas in seipso, vt in obiecto cognito; visio Dei æquè primò fertur in Deum & creaturas, quod dici non potest; tum quia essentia diuina in ratione speciei intelligibilis prius debet determinare diuinum intellectum ad cognitionem sui, quàm aliarum rerum quarum non est propria species; tum quia aliàs sequeretur diuinam cognitionem, saltem partialiter, specificari à creaturis, quod absurdum est; tum denique quia Deo tribuendus est modus perfectior seipsum cognoscendi, at Deus non meliùs & intimiùs seipsum cognoscit, quatenus intuendo suam essentiam simul aliquid aliud videt: sed quatenus ipse visus est causa cur alia videantur.

„ Dices, vt cognitio Dei non feratur æque primò in creaturas, sufficere quòd essentia diuina, tanquam species expressa, constituat Deum priùs intelligentem sui, quàm creaturarũ. Verùm explicandum superest, quomodo id fieri possit, si creaturæ à Deo non cognoscuntur, mediante diuina essentia, sed immediate in seipsis. Nam sicut Angelus habens verbi causa, vnam speciem repræsentatiuam bouis, & equi, non priùs per illam intelligit bouem, quam equum,

aut vice versa, sed vtrumque æque primò, & immediate; quia nimirum neque bos est illi medium cognoscendi equum, neque equus cognoscendi bouem. Ita repugnat quòd Deus per suam essentiam, vt per speciem expressam, constituatur priùs intelligens sui, quàm creaturarũ; nisi ea sit ipsi ratio, seu medium cognoscendi creaturas.

„ Nota 1. quamuis Deus videat creaturas in seipso tanquam in obiecto motiuo, illius tamen cognitionem esse claram & perspicuam, quia vlteriùs tendit, & terminatur ad ipsas creaturas in seipsis spectatas. Ad eum modum quo Angeli cognitio, qua videt conclusionem in principio, est clara, & euidens; quia non sistit in principio, sed ita illud peruadit, vt feratur in ipsam conclusionem, secundum se.

Nota 2. etsi vna res non videatur in alia tanquam in obiecto motiuo, nisi secundum esse quod habet in illa; nihil tamen impedire, quominus eadem visio tendat ad ipsam rem prout est in se, tanquam ad obiectum pure terminatiuum.

CONCLVSIO II. Futura contigentia absoluta non cognoscuntur in essentia diuina, vt habet præcise rationé omnipotentiæ, vel ideæ, neque in solo de-

creto diuino.) Prima pars probatur, quia omnipotentia diuina præcise spectata potest quidem repræsentare omnia possibilia, non tamen aliquid futurũ: cùm Deus non operetur ad extra ex necessitate naturæ sed liberrime, adeòque nihil sit futurum, nisi ex libera ipsius voluntate.

Secunda pars ostenditur, quia idea ratione præcedit decretum Dei de rebus producendis: cum Deus producat res iuxta ideam quam habet de illis: ergo à fortiori idea præcedit rerum omnium productionem, & consequenter scientiã visionis quam Deus habet de illis, quia hæc versatur circa res vt existentes in aliqua temporis differentia: non ergo fieri potest vt Deus cognoscat futura contingentia precise in suis ideis, etsi in eis cognoscat omnia factibilia.

Tertia pars suadetur, quia cùm Deus non necessitet voluntatẽ nostrã ad agendum, decretum cum ea concurrendi ad actus liberos, est decretum ei offerendi concursum quendam in actu primo indifferentem ad agendum & non agendum, quique ex consequenti possit ab illa repudiari: talis autem concursus non potest determinare intellectum diuinum ad cognitionem alicuius futuri contingentis, potiùs quam oppositi:

ergo neque id poteſt decretum exhibendi eiuſmodi concurſum.

Nota nos hîc agere de primaria cognitione quam habet Deus de futuro contingenti, qualis non eſt ea quæ habetur in decreto præfiniente, quia tale decretum, ſi datur, cum non habeat effectum niſi per auxilia repudiabilia, debet ſupponere ſcientiam aliquam priorem, quæ certò oſtendat eiuſmodi auxilia minimè repudianda, ſi dentur, aliàs fruſtrationis periculo temerè exponeretur. Accedit quòd etſi detur, Deum præfinire actus bonos non tamen concedit poteſt eum præfinire actus prauos; etiam materialiter ſpectatos, vt infra oſtendemus; cum tamen non minus hi quam illi ſub diuinam cognitionem cadant.

CONCLVSIO III. Futura contingentia nõ poſſunt certò cognoſci, in proximis ſuis cauſis, ſiue ſecundum ſe ſpectatis, ſiue etiam cum omnibus circunſtantiis ad agendum prærequiſitis.) Prior pars ſatis perſpicua eſt. Nam in primis eiuſmodi futurorũ proxima cauſa eſt voluntas, quæ ex ſe indifferens eſt ad vtrumlibet; quare ea viſa non poteſt certò Deus iudicare talem operationem determinatè ab ea eliciendam, potiùs quam oppoſitam.

Deinde, quia sequeretur Angelum posse certo cognoscere, idque naturaliter effectus contingentes, ab humana voluntate prodituros, cùm ex communi sententia, illam perfectè penetret, ac comprehendat.

Hinc probatur posterior pars, nam voluntas, etiam positis omnibus ad agendum prærequisitis, manet indifferens vt agat, vel non agat: Ergo Deus quamuis penetret totam vim voluntatis & circunstantiarum, non poterit ex iis certo cognoscere, in quam partem: voluntas se determinatura sit: cùm impossibile sit maiorem esse connexionem inter causam & effectum, in ratione scibilis, quam in ratione entis.

Nota quòd licet Deus possit ob maiorem penetrationem causæ liberæ, habere maiorem probabilitatem effectus sequuturi, non tamen omnimodam certitudinem: neque refert quod voluntatem creatam dicatur super comprehendere; hoc enim eatenus verum est, quatenus totam vim illius infinitè clariùs, ex parte ipsius intellectus, cognoscit quàm homo, vel etiam Angelus; vnde tamen non sequitur quòd in ea certò cognoscat effectum futurum.

CONCLVSIO IV. Ratio vi-

dendi futura contingentia non potest sumi ex reali,& æterna eorum existentia in æternitate.) Est communis extra Scholam Thomistarum,& facilè probatur,primo,nam propriè loquendo futura contingentia non coexistunt Deo realiter ab æterno, ergo talis existentia non potest esse ratio ex parte obiecti, cur Deus ea ab æterno intuitiuè videat. Sequela manifesta est, antecedens verò ostenditur, quia coexistentia supponit existentiam; atqui futura contingentia non existunt,cùm à causis suis nondum producta sint, aliàs non essent futura contra hypothesim: ergo nequeunt iam existere,& multò minus ab æterno realiter Deo coexistere.

Confirmatur, nam si futura contingentia coexistunt Deo ab æterno, ergo & Deus illis:atqui prius nequit esse verum, nisi Deus ab æterno in se existat; ergo neque posterius verum erit, nisi futura in se ab æterno existant. Quis autem hoc admittat?

Dices, quia æternitas est mensura infinita, posse Deum existentias rerum omnium intueri, antequam in propria mensura existant.Sed frustrà,nam æternitas non mutat naturas rerum, atque adeò non facit, vt quod in se non exi-

ſtit, poſſit alteri coexiſtere. Et quamuis poſſit Deus res futuras intueri antequam in ſe exiſtant; hinc non ſequitur, quod ipſi coexiſtant, antequam exiſtant; ſed potius, vt Deus futura intueatur, non opus eſſe quòd ipſi realiter ab æterno coexiſtant: cùm videlicet cognoſcantur antequam exiſtant, & Deo coexiſtere nequeant, niſi exiſtant.

Secundò, ſicut ſe habet locus ad immenſitatem Dei, ita & tempus ad æternitatem illius: atqui res exiſtens in aliquo loco, verbi cauſa, in hac aula, etſi ibi coexiſtat immenſitati Dei, non tamen vbique illi coexiſtit, quia ipſa deberet vbique exiſtere; ergo ſimiliter res exiſtens in aliquo tempore, etſi pro tunc coexiſtat æternitati Dei, non tamen dici poteſt quòd pro tempore præterito, quo nondum erat, & ab æterno illi realiter coexiſterit.

Tertiò, etſi talis præſentia gratis admittatur, primaria ratio cognoſcendi futura ab ea ſumi non debet, prius enim eſt quòd res aliqua in ſe ſit futura, quàm quod Deo realiter coexiſtat ab æterno: cùm ei ſic coexiſtere non dicatur, niſi quia in ſe vere aliquando eſt futura: in eo autem priori res futura eſt in ſe cognoſcibilis, eò ipſo quòd verè & deter-

minatè futura est; ergo debet à Deo cognosci independenter à prædicta coexistentia.

Nota 1. vt æternitas Dei dicatnr simplicissima mensura ambiẽs omnia tempora, sufficere quòd res sint in æternitate, quando in se existunt; neque refert quòd centrum simul coexistat punctis omnibus circunferentiæ; hoc enim inde oritur, quia ea omnia simul existunt; cùm tamen omnes partes temporis nequeant simul existere, adeóque non possint omnes simul & ab æterno coexistere æternitati, sed quælibet quãdo existit.

Nota 2. vt dicatur Deus hodie coexistere rei cui heri non coexistebat, aut cui non coexistet cras, sufficere quòd sit successio in ipsis rebus quæ Deo coexistere dicuntur: quemadmodum Deus sine vlla mutatione suæ immensitatis, potest quoad locum rei alicui modo coexistere, si producatur, modo non coexistere, si annihiletur.

CONCLVSIO V. Ratio videndi futura contingentia est ipsamet earum entitas & realis præsentia quam aliquando habitura sunt.) Probatur ex dictis, quia non potest negari quin Deus certò cognoscat futura contingentia antequam sint, ratio autem illa cognoscendi

cendi non potest sumi præcisè à Deo, vel à causis proximis huiusmodi futurorum, vt ostensum est: ergo superest, vt sumatur ab illorum entitate, & reali præsentia aliquando futura.

Confirmatur, nam ideò futura contingentia non videntur in causis suis, quia vt sic sunt indeterminata; at verò quatenus spectantur in seipsis, secundum realem entitatem quam aliquando habitura sunt, vt sic sunt determinata ad vnum, & extra statum indifferentiæ: vnde propositiones de illis enunciatæ sunt determinatè veræ: ergo sub eo respectu futura contingentia sufficientem habent veritatem, vt à diuino intellectu, quam nulla veritas latêre, cognoscantur.

Nota 1. aliud esse rem futuram Deo realiter coexistere ab æterno, & ratione talis coexistentiæ æternæ à Deo cognosci: aliud, rem futuram non coexistere Deo ab æterno, sed tantum pro tẽpore quo erit, & secundum eiusmodi coexistentiam futuram obiici ab æterno intellectui diuino, propter infinitam illius perspicacitatem omnes temporũ differentias præuenientem: & quidem prius illud à nobis negatum est: posterius autem iam affirmatur.

Nota 2. id quod iam non habet existentiam realem, non ita posse terminare scientiam diuinam, vt Deus ab æterno iudicet rem illam pro hoc tempore existere, posse tamen eam ita terminare, vt Deus iudicet & clarè cognoscat, rem illam cras extituram: si verè crastina die existentiam realem habitura sit.

SECTIO. III.

De Cohærentia scientiæ diuinæ cum libertate, & diuinis Ideis.

CONCLVSIO I.

PRæscientia Dei rectè cohæret cum rerum futurarum contingentia, & libertate.) Est certa ex fide, quia ex vna parte Scriptura docet Deum esse præscium futurorum contingentium, vt patet ex supradictis, ex alia verò sæpe inculcat nos operari libere.

Vera autem ratio huius concordiæ est, quia cùm cognitio supponat suum obiectum, certe scientia quam Deus habuit ab æterno de actu meæ voluntatis

libere futuro, nullo modo impedit quia actum talem liberè eliciam; intuetur enim illum vt iã à me liberè elicitum, adeóque necessitatem eum eliciendi mihi nequaquam imponere potest. Atque hanc conciliationẽ insinuant Theologi, quando aiunt scientiam visionis, de qua hîc agimus, esse merè speculatiuam, & nullomodo in obiectum influere, sed illud supponere vt existens, & per causas secundas productum. Item quando cum August. lib. 3. de lib. arb. comparant præscientiam diuinam nostræ præscientiæ futurorum, & memoriæ præteritorum, & visioni præsentiũ. Nam certum est nostram præscientiam non esse causam, quòd res necessariò futura sit, aut memoriam, quòd præterita; aut visionem, quòd præsens; sed tota necessitas petenda est ex rebus ipsis futuris, præteritis, & præsentibus; quatenus necesse est futurum esse, quod futurum est, fuisse quod fuit, & esse quod est.

Eandem non obscurè innuunt Patres, quando aiunt, non ideò res esse futuras, quia Deus præscit futuras esse, sed potiùs ideò Deum præscire eas esse futuras, quia verè futuræ sunt; inde enim colligitur, præscientiam diuinam esse

quodammodo posteriorem futuris contingentibus, ac proinde nõ magis impedire ne cõtingenter & liberè eueniant, quàm si nulla esset eorum præscientia.

Nota quòd cùm Petrus absolutè potuerit non peccare, potuit etiam Deus non scire eum peccaturum, quare quòd hoc sciuerit, non fuit absolutè necessarium, sed tãtum ex suppositione quòd Petrus esset peccaturus; ac proinde necessitas ex tali præscientia illata, non nocet libertati, cum non sit antecedens, sed duntaxat consequens.

CONCLVSIO II. Scientia Dei est causa rerum, non quidem illa quæ dicitur visionis, sed ea quæ vocatur simplicis intelligentiæ.) Prima pars probatur 1. ex Scrip. Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti. Prouerb, 3. Dominus sapientia fundauit terram &c. Secundò ratione; nam Deus est agens per liberam voluntatem, omnia enim quæcunque voluit fecit: voluntas autem non fertur in incognitum, neque potest certo, sine errore, operis perfectionem assequi, nisi à præuia intellectus luce dirigatur, quoad modum illud faciendi; quare scientia Dei est causa rerum, tanquam principium dirigens ad rectam & ordinatam earum productionem.

Vnde collige scientiam Dei esse rerum causam, non modo materialiter seu identicè spectatam, quatenus identificatur cum essentia diuina, quæ est rerum omnium principium, sed etiam formaliter in ratione scientiæ, quia vt sic est directiua operationis facemque præfert voluntati, quæ est potentia cæca.

Secunda pars, quæ est communis cõtra nonnullos Thomistas, facilè ostenditur. Nam scientia Dei est causa rerum, dirigendo illius voluntatem ad opus, & ostendendo modum quo res quælibet conuenienter produci potest: at scientia visionis non potest dirigere voluntatem Dei ad opus, quia vt eam dirigeret, deberet esse ratione prior quàm decretum liberum illius; atqui non tantum non est prior, quin etiam est ratione posterior; implicat ergo quod voluntatem dirigat ad sua decreta libera cudenda, aut cum ea concurrat ad opus.

Tertia pars ex dictis concluditur, & præterea probatur, nam scientia simplicis intelligentiæ habet omnes conditiones requisitas, vt sit causa rerum: præcedit enim decretũ diuinum, adeóque rerum existentiam, repræsentat res omnes factibiles, dictatque modum quo res quælibet conuenienter fieri debet;

ergo nihil ei deest ad rationem scientiæ practicæ.

Nota eam scientiam esse liberam, quæ ita adiunctum habet decretum, vt illud sequatur, qualis est scientia visionis; non autem illam quæ illud antecedit, qualis est scientia simplicis intelligentiæ; neque hinc colligas, Deum ad extra agere necessariò, siquidem scientia simplicis intelligentiæ, etsi vt scientia, & vt causa in actu primo spectata, sit necessaria, non tamen causat actu, nisi quatenus decretum Dei liberum adiunctum habet, qua ratione est libera.

CONCLVSIO III. Deus habet rerum ideas, quæ non sunt res ipsæ factibiles, sed essentia Dei vt imitabilis.) In primis quod in Deo sint ideæ creaturarum, hinc perspicuum est, quia idea vulgo dicitur, exemplar ad cuius imitationem artifex operatur, Deus autem est artifex præstantissimus, qui ad extra non operatur ex impulsu naturæ, aut fortuito, sed liberrimè, & & ex præconceptione effectus; cuius proinde ideam, & veluti exemplar quod intueatur, in se præhabere debet.

Secundo quod ideæ diuinæ non sint ipsæ res factibiles, prout ab æterno sunt obiectiuè in mente Dei, patet, quia

Deus valde imperfectè ageret, si extra sed deberet intueri aliquod exemplar, ad cuius imitationem operaretur, sic enim acciperet à creaturis rationem agendi, easque practicè cognoscendi, quod dici non potest.

Tertiò quod ideæ sint ipsa essentia Dei vt imitabilis, patet, quia cùm in ea cõtineantur omnes rerum omnium perfectiones possibiles, omnesque modi quibus quælibet res produci potest, nihil congruentiùs potest esse exemplar, seu idea rerum omnium, quam ipsamet essentia Dei, prout hoc vel illo modo est participabilis à creaturis.

Quamquam ad conciliandas duas sententias oppositas, non erit fortè extra rem asserere, ideam adæquatè spectatam duas veluti partiales ideas complecti, obiectiuam; quæ est essentia diuina, vt imitabilis à creaturis, & formalem, quæ nihil aliud est quàm cognitio actualis, qua Deus intuendo suam essentiam vt imitabilem, repræsentat formaliter creaturas vt hoc vel illo modo faciendas.

CONCLVSIO IV. In Deo variæ sunt ideæ, licet non omnium quæ ab eo cognoscuntur.) Primum patet, quia ideæ multiplicantur iuxta varios mo-

dos quibus essentia diuina est inimitabilis à creaturis: vnde vulgo dicitur, hominem productum esse ad ideam hominis, equum ad ideam equi; & sic de aliis; ea autem dictinctio idearum non est realis vt putant ij, qui dicunt, ideas nihil aliud esse quàm præconceptas essentias creaturum; neque etiam formalis ex natura rei, vt existimarũt olim nonnulli Theologi, qui alioqui dicebãt essentiam diuinam, non autem creaturas habere rationem idearum: est ergo distinctio rationis ratiocinatæ, vt patet ex dictis suprà, vbi de attributis diuinis.

Secundum probatur, quia idea est de re factibili, non quacunque, sed tantum de illa quæ fit ad imitationem exemplaris; vnde non sunt in Deo ideæ negationum, aut priuationum; quia hæc à Deo propriè causari non possunt: licet autem Deus producat Filium, & Spiritum sanctum, non tamen habet eorum ideas, quia non sunt res per artem factibiles ad imitationem exemplaris. Sunt igitur in Deo speciales ideæ creaturarũ omnium, non modo aliquando existentium, sed etiam possibilium: quia hæ aliàs non possent creari, adeôque non essent possibiles.

Hoc autem intellige 1. de indiuiduis,

nam genera & ſpecies cum non producantur niſi in ſingularibus, non habent aliam ideam quàm ſingularium. Intellige 2. ex S. Thoma de entibus completis, nam incompleta vt materia, non habent ſpecialem ideam, ſed idea totius eſt ſimul idea partium ex quibus coaleſcit. Intellige 3, ex eodem, de accidentibus quæ ſubiecto iam facto ſuperueniunt, non de iis quæ ſubiectum inſeparabiliter comitantur.

SECTIO IV.

De Scientia conditionata, ſeu media.

CONCLVSIO I.

IVxta Scripturam ſacram admittenda eſt in Deo ſcientia conditionata.) Probatur. Nam ex Scriptura certum eſt Deum cognoſcere futura ſub conditione, ſeu quæ forent ſi aliqua poneretur conditio, hoc enim perſpicuum eſt ex 1. Reg. 21. vbi duo futura conditionata fuerunt diuinitus Dauidi reuelata, nempe quòd ſi maneret in Ceyla, Saül deſcenſurus eſſet ad euertendam vrbem;

& quod si Saül descenderet, Ceylitæ traditurí eum essent in manus illius: neutrum autem ex illis absolutè euenit, quia defuit conditio, nimirum quia Dauid non mansit in Ceyla: idem patet ex Matth, 11. vbi Christus testatur Tyrios & Sydonios acturos fuisse pænitentiam, si corã illis ea miracula edidisset, quæ in Iudæa patrauerat; hæc autẽ cognitio non nisi ad scientiam conditionatã seu mediam spectare potest, præsertim cum sit certissima, & de ipso euentu futuro.

Neque refert quod Thomistæ dicunt, debere supponi decretum aliquod efficax actu in Deo existens, cuius vi cognoscat futura sub conditione, atque ita hanc cognitionam non spectare ad scientiã illã conditionatam seu mediam de qua agimus, sed ad scientiã, liberam. Nam si hæc euasio haberet locum, talia decreta concipienda essent in Deo, volo efficaciter vt Ceylitæ tradant Dauidem, si Saül ad eos descenderit. Volo Tyrios physicè prædeterminare ad conuersionem si Christus apud illos miracula ediderit: at hoc modo Deus esset causa peccati, & libertatem tolleret; cùm impossibile sit eum non peccare, quem Deus vult efficaciter impellere ad actũ peccati: eumque non agere, quem ad agendum prædeterminat; sic etiam red-

deretur prorsus inutilis ratiocinatio Christi, cum Iudæi respõdere possint, non mirum esse quod Tyrij in dicta occasione essent conuertendi: quia accepturi erãt auxilia quædam ineluctabilia quibus ipsi carebant.

CONCLVSIO II. Scientia conditionata Augustino aliisque Patribus est valde consentanea.) Probatur 1. Nam Paganis & hæreticis quærentibus, cur Deus creauerit Angelos & homines quos sciebat peccaturos, Patres non respondent talem scientiam non esse in Deo, sed eâ admissà, docẽt in eo suspiciẽdã esse bonitatẽ Dei, quod etsi præuideat aliquos malos futuros, nõ propterea desinit eos creare, eisque auxilia sufficiẽtia, quibus saluari possint (si velint) largiri.

Neque dicas testimonia illa debere intelligi de scientia peccati Angelorum & hominum, vt absolutè futuri, nam talis scientia supponit decretum constitutum creandi Angelos & homines; scientia verò de qua loquuntur Patres, ratione præcedit tale decretum, per illam enim videt Deus, quid facient Angeli & homines si eos creare velit, adeóque est de futuro conditionato.

Confirmatur, nam alioqui si quæstio fuisset proposita eo sensu, Deus sciens absolutè Angelos & homines peccatu-

ros, voluerit illos creare, facile responderi poterat, quia id non nouerat nisi post decretum eos creandi, quod propter immutabilitatem suam reuocare nõ poterat: nec opus erat recurrere ad rationem superius allatam, aliasve similes.

Probatur 2. nam Patres frequenter docent, Deum aliquos vocare quando nouit eos consensuros: aliis verò ex iusto iudicio denegare eam vocationem, cui responderent si iis daretur: at illa scientia haudubiè est conditionata, qua Deus antequam statuat aliquem vocare, certò nouit eum consensurum, si hoc vel illo auxilio præueniatur, secus si alio modo vocetur.

Nota ab Augustino & Prospero non rarò reprehendi Semipelagianos, non quòd scientiam conditionatam in Deo admitterent, sed quia stultè existimabant, Deum hominibus præmia aut pœnas ab æterno præparasse, & in tempore conferre pro bonis aut malis operibus, quæ iuxta scientiam Dei eliciturí erant, non absolutè, sed ex hypothesi quod diutiùs vixissent.

CONCLVSIO III. Scientia con-

ditionata est ad mentem S. Thomæ.) Probatur 1. Nam 1.p.q.23.art.5 ad 1. Dicendum, inquit, quod vsus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis vt dictum est: Quibus verbis supponit, Deũ antequam statuat alicui conferre gratiam, certò scire num bene ea vsurus sit, necne, si illi detur, quæ sanè scientia est futuri sub conditione.

Deinde eiusdem 1. p.q.92. art. 1. cùm sibi S. Doct. 3. loco obiecisset, occasiones peccatorum esse amputandas, atque adeò Deum non debuisse creare mulierem quam sciebat (vtique per sciẽtiam conditionatam) futuram homini in occasionem peccati, si crearetur Respondet, non quidem negando talem scientiam fuisse in Deo, sed eà admissâ, ostendendo illam non debuisse impedire creationem mulieris, eò quòd non debet commune bonum tolli, vt vitetur malum particulare. Quod si recurras ad decretum præexistens, iam ponis in Deo hanc voluntatem, non minus ab illius bonitate, quam à mente S. Doctoris alienam volo efficaciter vt mulier sit homini in occasionem peccati.

Nota scientiam conditionatam communiter ad alterum ex vulgaribus mem-

bris scientiæ diuinæ reduci; cùm enim habeat independentiam à decreto libero in Deo existente, vt sic à nonnullis refertur ad scientiam naturalem, alij verò propter libertatem obiecti cogniti, quod potuit non esse futurum, eam comprehendunt sub scientia libera, & ita à S. Thoma sub altero ex his membris cõprehendi potuit. Verùm cum futurum sub conditione sit veluti quid medium inter possibile, & absolutè futurum, nihil vetat maioris distinctionis gratiâ, scientiam conditionatam veluti mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis constituere.

CONCLVSIO IV. Si rationem consulamus, scientia conditionata seu media ponenda est in Deo) Probatur, nam scientia Dei non esset vndequaque perfecta, nisi omne verum attingeret, at non attingeret omne verũ, nisi versaretur circa futura conditionata, cum hæc non minus vera sint quàm quæ absolutè futura sunt, imò priùs secundum rationem futurum contingens sit verum conditionatè, quàm absolutè. Nam si verum est quod Petrus positus in talibus circunctantiis peccat, sane antequam in iis esset positus, aut ponendus, verum erat, quod si in iis poneretur, peccaret; tale

autem conditionatum eſt proprium obiectum ſcientiæ conditionatæ ſeu mediæ; quare haud dubiè talis ſcientia in Deo ponenda eſt.

Neque refert quod dicunt Thomiſtæ, nihil eſſe futurum ſiue abſolute, ſiue ſub conditione, niſi dependenter à decreto Dei; hoc enim aliquò ſenſu verum eſt, & alio falſum; nam imprimis ſi agatur de decreto phyſicè prædeterminãte, quale ab ipſis admittitur, falſiſſimum eſt quod futurum contingens tale decretum ſupponat; cum phyſica prædeterminatio contingentiam & libertatem excludat. vt cap. 18. dicetur; ſi autem agatur de decreto concurrendi cum voluntate, eique tribuendi quicquid neceſſarium eſt ad agendum, verum eſt quod ex parte Dei tale decretum requiritur, vt contingens ſit futurum, ſed cum diſcrimine; nam vt res aliqua ſit abſolutè futura, neceſſe eſt quod tale decretum abſolutè ſit in Deo; ſi verò ſit tantum futura ſub conditione, ſufficit quod ſi talis poneretur conditio, ex vi decreti diuini quod tunc eſſet, tribuerentur voluntati auxilia neceſſaria ad agendum.

Nota 1. per ſcientiam conditionatam eneruari quidem gratiam illam effica-

cem, cui vis physicè prædeterminãdi voluntatem tribuitur, non tamen illam cui Concil. Tridentinum statuit voluntatem posse dissentire si velit; quin potius vt talis gratia omnimodam firmitatem habeat, ea debet inniti scientiæ conditionatæ, qua videt Deus illam effectum habituram, etsi eo carere possit.

Nota 2. prædestinationem propriè non fieri dependenter ab operibus sub conditione præuisis, tanquam à ratione motiua; quia etsi Deus sine eiusmodi præscientia, nequeat aliquem prædestinare, ea tamen non est causa cur aliquis prædestinetur, vt patet exemplo Tyriorum, qui prædestinati non sunt, etsi Deus certò sciret, eos pœnitentiam fuisse acturos, si his aut illis auxiliis præuenirentur.

CONCLVSIO V. Scientia cõditionata ponenda est in Deo, non modo speculatiue, sed etiam practice.) Prior pars probatur. Nam scientiam conditionatam esse in Deo speculatiue, id nihil aliud est, quàm Deum vere & certo cognoscere quid, verbi causa, faceret Petrus si eum vellet creare & ponere in his aut illis circunstantiis minime prædeterminantibus: at eiusmodi cognitionẽ reperiri in Deo ex hactenus dictis

ſatis demonſtratum relinquitur.

Poſterior pars ſuadetur, quia ſcientiam aliquam eſſe in Deo practicè, ſeu quoad vſum, nihil aliud eſt quàm Deum eiuſmodi ſcientiâ tanquam præuia luce dirigi ad ſtatuenda ſua decreta; atqui ea fere omnia quæ ſuperioribus concluſionibus allata ſunt, perſpicue oſtendere videntur, Deum hoc modo ſcientiâ conditionatâ dirigi, in prouidentia ſpectante ad homines, vt conſideranti patebit: ergo talis ſcientia eſt in Deo etiam practice, ſeu quoad vſum. Confirmatur, quia cogitari non poteſt, quod Deus prudenter ſtatuat decreto efficaci, aliquem ſaluare per media repudiabilia, niſi dirigatur ſcientiâ conditionatâ dictante, eiuſmodi media bonum exitum habitura, ſi dentur: aliàs enim decretum Dei manifeſto fruſtrationis periculo expoſitum eſſet: quis autem dubitet quia Deo tribuendum ſit, quicquid ſpectat ad perfectiſſimam prouidentiam?

Dices Deum cognoſcendo vim mediorum, & proportionem quam ſingula habent cum voluntate, certo ſcire quænam ex illis ſint effectum habitura, eaquæ per eiuſmodi ſcientiam, quæ eſt naturalis, applicare ad obtinendum effectum. Verùm hoc facile reiicitur, tum

quia à nobis concipi nequit, quomodo Deus certissime cognoscat effectum futurum, in causa ad vtrumlibet indeterminata: tum quia cùm scientia Dei sit infallibilis, illud omne necesse est euenire, quod Deus ex cognitione causarum certo euenturum præuidit: at quænam erit illa necessitas qua necesse erit futurum illud contingens euenire, quod Deus ex cognitione causarum certo euenturum præuidit? non sane consequēs, quia nullo modo supponit actum, etiam sub conditione præuisum, ergo antecedens, adeóque libertati repugnans. Quare concludo, vt certitudo decretorum Dei recte concilietur cum libertate arbitrij, necessario esse recurrendum ad scientiam conditionatam, seu mediam. Vide plura hac de re in suaui Concordia disp. 4. per totam.

CAPVT V.

De voluntate diuinâ & obiecto eius.

SECTIO I.

An sit in Deo.

CONCLVSIO I.

IN Deo est voluntas.) Probatur; tum ex Scriptura Psal. 113. Omnia quæcunque voluit fecit Rom. 9. Voluntati eius quis resistet? tum Deus est intellectu præditus, ergo & voluntate: Sequela patet, nam appetitus sequitur formam, naturalis naturalem, sensitiuus sensitiuam, & rationalis rationalem, vt nimirum quælibet res possit appetere bonum sibi conueniens: Deus ergo appetitu rationali, seu voluntate præditus est: præsertim cum hæc sit perfectio simpliciter simplex, supremo & perfectissimo enti apprime consentanea & necessaria.

Nota 1. voluntatem non esse propriè in Deo per modum potentiæ, & actus primi, quia strictè loquendo potentia volendi est principium elicitiuũ actualis volitionis realiter distinctæ & subiectum illius receptiuum, quæ conditiones repugnant summæ puritati & simplicitati diuinæ, vt patet ex aliàs dictis.

Nota 2. quòd etsi à parte rei voluntas non sit in Deo per modum potentiæ seu actus primi, nihil tamen vetat quin eam hoc modo concipiamus, sicut eam consideramus vt distinctam ab essentia, & veluti quandam illius proprietatem; sicut etiam distinguimus per rationem attributa ab eadem essentia diuina, & concipimus Deum non modo actu intelligere, sed etiam habere intellectum infinitè perfectum per modum potentiæ, ab actuali intellectione distinctæ.

CONCLVSIO II. In Deo est appetitus innatus.) Probatur, nam in primis etsi Deus vtpote perfectissimus, non possit habere naturalem appetitum per modum prosecutionis, quo tendat ad consecutionem alicuius perfectionis; cum tamen quælibet res quiescat in perfectione naturali quam possidet, non incongruè dici potest Deum, non tan-

tum appetitu elicito ſibi complacere in ſuis perfectionibus, ſed etiam ex inclinatione naturali in iis quieſcere; atque adeò habere appetitum innatum per modum quietis, ex ſola naturæ inclinatione ortum.

Deinde perſona producens dici poteſt habere appetitũ naturalem, ad productionem perſonæ ab ea procedentis, ſiue quia perſona producens eſt Deus, at diuinitas naturaliter propendet in totam ſuam perfectionem, quæ non ſubſiſteret ſine tribus perſonis: ſiue quia ſicut in creatis, potentia productiua habet inſitum appetitum, vt ſuo effectui ſe communicet, ita in perſona producente debet eſſe appetitus innatus, vt ſe communicet perſonæ quæ ab ea producitur.

Tandem tota Trinitas vt vnus Deus omnipotens & infinitè bonus, naturaliter inclinatur ad ſuas perfectiones creaturis communicandas, tum quia quælibet potentia actiua naturaliter inclinatur ad ſuos effectus producendos, tum quia generatim bonum eſt ſui diffuſiuum: Deus tamen naturalem hanc inclinationem neceſſario non exequitur, ſed ex iudicio rationis liberaque voluntate, quia quæcunque vult facit in cœlo & in terra.

Dices, in Deo est appetitus rationalis, quo in propriis perfectionibus sibi complacet, seque aliis cōmunicat: ergo, quoad hæc, appetitus innatus est superfluus. Respondeo non sequi, quia dantur in re aliqua varij appetitus, iuxta varios entis gradus quos participat, vt patet in homine, qui habet appetitum sensitiuum, etsi per rationalem in illius obiectum ferre possit.

CONCLVSIO III. Deus vult & amat seipsum, & creaturas omnes.) Prima pars adeò certa est vt probatione non indigeat: frustra enim voluntate præditus esset, nisi aliquid vellet & amaret: nullum autem obiectum ipsius voluntate congruentius cogitari potest, quàm eiusdem bonitas infinita: quare dubitari nequit quin Deus seipsum, idque infinitè diligat.

Eò vel maximè quia sicut diuinæ cognitionis obiectum primarium est diuina veritas, ita proportione seruata diuinæ volitionis obiectum perfectissimum diuina bonitas esse debet; ita vt ad essentialem & absolutam Dei fœlicitatem vtraque operatio concurrat, videlicet comprehensio, & amor suiipsius.

Secunda pars probatur 1. ex Scriptura, Psal. 113. Omnia quæcunque voluit

fecit : & Sapientiæ 11. Diligis omnia quæ sunt,& nihil odisti eorum quæ fecisti. 2. ratione, nam sicut se habet intellectus diuinus ad verum,ita & volũtas diuina ad bonum; sed diuinus intellectus fertur in omne verum,non solùm increatum, sed etiam creatum, vt supra ostensum est:ergo & voluntas diuina in omne bonum,non tantum increatum,sed etiam creatum, quale est omne ens à Deo productum ; iuxta illud Genes. 1. Vidit cuncta quæ fecerat,& erant valde bona.

Confirmatur, nam cùm nihil sit à se præter Deum, sequitur alia omnia quæ sunt, à Deo producta esse : & cum Deus non agat ex necessitate naturæ, sed liberrimè vt infrà ostendemus,hinc fit,vt creaturas non produxerit nisi volens,& ex mero affectu iis communicandi bonitatem suam iuxta vniuscuiusque capacitatem;unde quia amare aliud nihil est quàm velle bonum alicui : quo magis res aliqua participat de bonitate & perfectione diuina, eo magis illa censetur à Deo diligi Quo autem modo Deus creaturas diligat, dicetur cap. 17.

CONCLVSIO IV. Deus non vult malum culpæ, etsi illud permittat, vult tamen malum pœnæ non per se, sed per accidens.) Prima pars est aperta

in Scriptura, Sapientiæ 14. Odio sunt Deo impius & impietas eius. Psal. 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Ratio autem est, quia cum Deus nihil velit saltem vltimatè, nisi ex motiuo suæ bonitatis, sequitur eum nihil posse appetere, nisi quod dicit ordinem ad ipsius bonitatem, & ad illam refertur: at malum culpæ non ordinatur ad bonitatem diuinam, quin potiùs illi repugnat, vel tanquam ab ea vt vltimo fine planè auertens, si peccatum sit mortale; vel saltem aliquantisper retardans, si sit veniale.

Secunda pars facilè ostenditur, nam multa peccata quotidiè fiunt ab hominibus, quæ non fierent nisi permitteret Deus ea fieri; illa ergo permittit, non merè negatiuè se habendo circa peccatum, sed actu positiuo voluntatis volendo illud permittere, & consequenter suppeditare concursum necessarium ad illud patrandum. Et quamuis peccatum sit malum, bonum tamen est vt creatura libera sinatur vti iure suo, & consequenter vt Deus non deneget illi concursum quem ex munere primæ causæ illi exhibere tenetur, & sine quo in actum prodire non posset.

Tertia pars probatur, nam quod Deus

velit

velit aliqua ratione mala pœnæ, hoc cõstat ex variis pœnis quas tam in hac quàm in alia vita immittit. Quod autem non velit tale malum per se, satis ex eo patet, quod appetitus nõ intendit per se nisi in bonum. Quod etiam possit velle eiusmodi malum per accidens, ea ratione ostenditur, quia bonum diuinæ iustitiæ pœnis coniunctum melius est, & optabilius quàm bonum naturæ quo eiusmodi pœnæ priuant. Vnde etiã vult Deus per accidens naturales defectus, propter bonum ipsis coniunctum: verbi causa, vnius rei corruptionem propter generationem alterius, & vt seruetur ordo naturalis rerum ac pulchritudo vniuersi.

Nota Deum non esse causam peccati, etsi causet voluntatem; quia cum hæc sit libera, peccatum cauere potest. At neque Deus est causa peccati etsi ad entitatem illius concurrat, quia nihilominus non est propriè causa vt talis entitas ponatur in rerum natura, cum voluntatem creatam ad illius positionem non impellat, siue physicè siue moraliter; & aliunde cùm sit prima causa tenetur concursum suum generalem exhibere voluntati, quoties illa operari voluerit.

CONCLVSIO V. Deus vult de Deo.

quicquid vult propter suam bonitatem, adeóque obiectum formale omnium volitionum diuinarum est ipsius bonitatis.) Probatur, tum ex verbis illis Bernardi serm. 59. in Cant. Amat & Deus, nec aliũde hoc habet, sed ipse est vnde amat. Tum quia cùm Deus creando res, bonas faciat, patet eum non posse moueri à præexistente earum bonitate, vt eas velit & diligat, sed à sua bonitate infinita, quæ proinde est obiectum formale, & totale motiuum diuinæ volitionis: quatenus Deus essentiam suam vt infinitis modis participabilem cognoscens, motus à sua bonitate, statuit has, & illas creaturas producere iisque participationem aliquam sui esse conferre, & simul illas ad seipsum vt ad vltimum earum finem referre, iuxta illud Prouerbiorũ 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Confirmatur, nam cum voluntas diuina sit infinitè perfecta, nullum aliud bonum quàm infinitum potest esse obiectum adæquatum, & primarium à quo illius actus specificetur; quare sola bonitas diuina potest esse primarium motiuum quo Deus se & alia diligit, neque in bonitate creaturarum, vt pote essentialiter finita, vltimatè sistere potest.

Nota 1. etsi Deus omnia velit propter suam bonitatem, inde malè colligi, non esse in eo iustitiam, misericordiam, aliasue virtutes, præter charitatem: quia vt eiusmodi virtutes sint in Deo, sufficit quòd operetur ex speciali earum honestate; quanquam illud totum vltimatè in suam bonitatem referat.

Nota 2. quòd dici solet, amorem amicitiæ tendere ad amicum propter ipsũ, dupliciter posse intelligi: nam si sensus sit, amorem amicitiæ terminari vltimatè ad amicum, sic falsum est; si verò aliquem amari propter ipsum significet tantum, eum amari vt ipsi bene sit, sic Deus amat hominem propter ipsum, etsi ad hoc non moueatur à bonitate hominis, sed à sua propria bonitate diuina; ad quam ipsemet homo, totumque bonum quod possidet vltimatè refertur.

CONCLVSIO VI. Voluntas Dei etsi realiter vnica sit & simplicissima, diuiditur in voluntatem signi & beneplaciti, antecedentem & consequentem, conditionatam & absolutam, efficacem & inefficacem.) Per voluntatem beneplaciti intelligitur quædam voluntas verè & formaliter in Deo existens, qua complacet sibi in re volita; at per voluntatem signi intelliguntur signa

quædam externa diuinæ voluntatis hoc versu comprehensa.

Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.

Licet autem non semper in Deo reperiatur affectus interior, qui iuxta conceptum nostrum prædictis signis respondeat, ea tamen absolutè significant affectum aliquem, seu voluntatem verè in Deo existentem: aliàs falsa essent signa, qualia à Deo vsurpari non possunt.

Voluntas antecedens est qua Deus vult aliquid secundum se, & sine circunstantiis spectatum, qua ratione vult salutem omnium hominum: consequens verò, qua Deus vult aliquid conspectis omnibus circunstantiis, qua ratione vult aliquos damnari, quia nempe sunt mali: sicut iudex qui vult antecedenter vt omnes homines, viuant, vult consequenter vt homicida intereat.

Eadem voluntas beneplaciti, adhuc diuidi potest in conditionatam & absolutam, quæ diuisio cum præcedenti coincidit; nam cum voluntas antecedens ea sit, qua Deus vult omnium salutem esse conditionatam, conditione se tenente ex parte obiecti, non actus: vt cùm verè & sincerè optamus dare mercedem agricolæ, si in vinea laborauerit: volun-

tas autem absoluta ea dici potest, qua Deus vult aliquid spectatis omnibus circunstantiis, vnde eadem est ac consequens.

Vbi nota voluntatem hanc generalē qua Deus vult omnes saluari, includere istam conditionem, si per ipsos non stet, non verò istam, nisi per hoc impediretur pulchritudo vniuersi, vt putant aliqui Thomistæ: sic enim Deus non haberet verum affectum saluandi omnes homines, contra aperta Scripturæ & sanctorum Patrum testimonia, siquidem ex seipso, & eorum peccatis minimè prouocatus, vellet voluntate consequente eos damnare, ne, si saluarentur, pulchritudo vniuersi impediretur.

Tandem voluntas Dei diuiditur in efficacem & inefficacem, efficax dicitur quæ habet effectum, & inefficax quæ eo caret. Cæterum voluntas signi non est semper efficax, cum non semper fiat quod Deus præcipit aut consulit. Voluntas autē beneplaciti antecedēs, qua Deus vult omnes saluari, etsi absolutè non sit efficax, cùm effectu careat; dicitur tamē efficax secundum se, seu conditionatè, quatenus vi illius reprobi salutem efficacitter consequerentur, nisi illius efficaciæ impedimentum apponerent: conse-

quens verò sed absoluta Dei voluntas semper est efficax, ita vt infallibiliter eueniat, quidquid Deus ea voluntate vult: voluntati enim eius quis resistet? Rom. 9. Cuius ratio sumitur ex omnipotentia virtutis diuinæ, quæ à nulla creatura impediri potest, vnde si homo non facit quod Deus vult voluntate antecedente, Deus facit in illo, & de illo quod vult voluntate consequente; ex illius peccatis efficaciter colligendo gloriam suam.

SECTIO II.

De libertate voluntatis diuinæ.

CONCLVSIO I.

IN Deo ponenda est libertas, eaque cõsistens non in indifferentia iudicij sed in indifferentia ipsius voluntatis potentis eligere hoc aut illud.) Prima pars est certa ex Scriptura quæ multipliciter denotat in Deo esse libertatem, vt cum ait Deum facere quicquid vult, diuidere singulis prout vult, saluare quos vult, &c. Ratione etiam ostenditur, quia ponenda est in Deo omnis perfectio sim-

pliciter simplex, qualis est libertas, vtpote quæ melior est ipsa quàm non ipsa, nec maiori repugnat perfectioni. Confirmatur nam omnes creaturarum perfectiones ponendæ sunt in Deo, detractis imperfectionibus, at libertas magna est perfectio in Angelis & hominibus, quare potiori titulo in Deo constitui debet.

Secunda pars ostendisur, tum quia omnia Scripturæ & SS. Patrum testimonia; quibus probari solet Deum esse agens liberum, libertatem illius explicant, non per iudicij indifferentiam, sed per indifferentiam ipsius volũtatis potentis velle & non velle, agere & non agere; tum quia illud non potest sufficere ad libertatem Dei, quod ne ad nostram quidem sufficit: at quis dicat hominem eo ipso esse liberum, quo iudicat obiectum aliquod esse ex se indifferens, seu posse eligi & non eligi, etsi non habeat voluntatem indifferentem ad illud eligendum vel non eligendum, sed necessario illud amplecti debeat, aut necessario respuere?

Certè si hoc ita se habet, falluntur omnes Philosophi qui vno ore fatẽtur, etsi radix libertatis sit in intellectu, ipsam tamen libertatem formalem consistere in voluntatis indifferentia ad vtrũ-

libet. Falluntur omnes Controuersistæ, qui docent, hæreticos huius temporis destruere libertatem, cùm ipsi non adeò stulti sint, vt negent prædictam iudicij indifferentiam; satis enim experiuntur se non habere iudicium dictans quicquid faciunt esse necessario faciendum, & alioqui ingenuè fatentur se videre meliora, probareque & deteriora sequi. Falluntur denique Scholastici quatenus communiter affirmant, vel supponunt vt certum, voluntatem creatam posse à Deo necessitari ad agendum, etiam supposita iudicij indifferentia; & sanè quæ ratio afferri potest, cur Deus qui est infinitæ virtutis, non possit me adigere ad concipiendam necessario, & sine libertate volitionem dandi eleemosynam, etsi intellectus mihi repræsentet rationes pro vtraque parte contradictionis, nec dictet eleemosynã esse hic & nunc necessario erogandam? Vide plura hac de re in suaui Concordia disp. 2. sect. 3. n. 2.

CONCLVSIO II. Deus à sua scientia non determinatur quoad exercitium, vt hoc vel illud velit aut non velit, sed manente eadem scientia necessaria ad aliquid agẽdũ, potest illud nõ agere.) Est cõmunis contra recentiores Thomistas, qui in nobis constituunt iu-

dicium practicum quo posito necesse sit nos operari, & idem dicunt de Deo; sed contrà, male in nobis ponitur iudicium prædictum, ergo multo magis Deo denegandũ est, sequela patet quia Deus multò magis est independens à re volita quàm homo, huic autem independentiæ valde repugnaret iudicium illud, si esset in Deo: omnino mihi expedit vt mundum producam, vel vt Petrum prædestinem, &c. quia sic creaturæ viderentur Deo aliquo modo necessariæ. Antecedens ostenditur, primò quia S. Thomas q. 64. de veritate art. 2. ponit in brutis quãdam actionum indifferentiam, quàm docet non sufficere ad libertatem, eo quòd bruta mouentur per iudicium determinatum ad vnum: Et ibidem nostrã libertatẽ ita defendit, vt nõ modo velit, liberũ esse voluntati respuere, quod ipsi proponitur ab intellectu, sed etiam quod illa possit iudicium flectere quò voluerit, vt sic eligat quod magis arriserit: tantum abest vt putet, ad liberam volitionem requiri iudicium ad vnum determinatum, & ab ipsa voluntate independens.

Secundò prædictum iudicium tollit vsum libertatis, ergo reiiciendum est, probatur antecedens, nam ex communi

ſententia neceſſitas antecedens tollit vſum libertatis,& ſola conſequens cum eo cohæret: ar ſi daretur iudicium illud practicũ independens à voluntate,ex eo ſequeretur neceſſitas agendi antecedẽs; ſiquidem talis eſt neceſſitas quæ oritur ex ſuppoſitione antecedente, ſeu quam ponere aut tollere non pendet à noſtra libertate.

Tertiò denique quod voluntas poſſit velle aliquid, etſi intellectus penſatis omnibus non iudicet id eſſe abſolutè amplectendum,talemque volitionem nõ imperet,patet, tum quia ſi occurrũt duo media omnino æqualia,poterit voluntas vnum eligere, relicto alio; tum quia etiam quando media ſunt inæqualia, poteſt eligi quod minus vtile iudicatur: tum quia ſæpe voluntas eligit id, quod intellectus hîc & nunc omnibus penſatis,abſolutè iudicat eſſe fugiendum.

Nota non opus eſſe, quoties voluntas peccat, intellectum errare iudicando, hîc & nunc abſolutè melius eſſe peccare, quàm non peccare:ſic enim nemo peccaret, quin eſſet hæreticus: aliunde tamen peccatorem errare, quatenus non ſufficienter conſiderat quæ à malo opere poſſent illum auocare, & de hoc errore poſſe intelligi verba illa Prouerb. 14.

Errant qui operantur malum, nisi ea malis de errore morum intelligere.

CONCLVSIO III. Deus seipsum amat necessario, item creaturas possibiles, existentes verò liberè, & tamen immutabiliter.) Prima pars probatur, tum de amore quoad specificationé, quia aliquid amare necessariò quoad specificationé est non posse circa rẽ illã exercere actũ odij. At Deus non potest circa seipsũ exercere actũ odij, cum nullã in se rationé mali deprehendere possit, sed potiùs summam bonitatem; tum de amore quoad exercitium, nam cum Deus se perfectissimè comprehendat, neque ab actuali sui cognitione abstinere possit, videatque se esse infinite amabilem, & nihil deprehendat propter quod non semper actu ametur, consequens est eum se necessario amare quoad exercitium.

Dices, nonne potest Deus cessationem ab actuali sui amore, interdum apprehendere vt bonam, verbi causa, ad experiendam suam libertatem? Respondeo negatiue, tum quia ea cessatione posita, sequeretur eum mutari: tum quia Deus non esset perfecte beatus, eò quòd ad perfectam beatitudinem requiritur actualis amor summi boni.

Secunda pars ostenditur de vtroque amore: de priori quidem, quia creaturæ possibiles cum vt sic, habeant aliquam bonitatem, neque vllam includant rationem mali, non possunt odio haberi; quare Deus illas amat necessario, quoad specificationem. De posteriori verò, quia cum res sint possibiles; antequam Deus statuat eas creare, amor quo eas diligit, antecedit quodcunque decretum illius liberum, adeóque est necessarium quoad exercitium, nec potest non esse in Deo: siquidem in eo statu res possibiles habent aliqualem entitatem, secundum quam terminant cognitionem Dei; & consequenter aliqualem bonitatem, secundum quam terminant simplicem affectum diuinæ voluntatis, qui proinde non potest non esse necessarius.

Confirmatur, nam Deus necessariò intelligit creaturas possibiles, ergo & necessariò easdem diligit. Sequela patet, quia sicut Deus non potest seipsum comprehensiuè cognoscere nisi simul cognoscat omnia possibilia; ita nequit seipsum comprehensiuè amare, id est, secundum totam latitudinem suæ amabilitatis, quin etiam res omnes possibiles diligat, affectu aliquo complacentiæ. Sicut enim non potes comprehendere

artem alicuius, nisi ipsum artefactum cognoscas; ita fieri nequit, vt artem illam perfectè diligas, quin simul tibi aliquo modo placeat opus, quod scis ab ea prodire posse.

Dices, si Deus necessariò amaret res possibiles, sequeretur eum determinari ab illis, quod absurdum est. Respondeo negando id sequi, sicut enim Deus à sua veritate determinatur, ad cognoscendas res possibiles; ita à sua bonitate determinatur, ad eas diligendas.

Tertia pars suadetur, quia Deum amare creaturas existentes, hoc est eum efficaciter velle vt existant, & vi talis volitionis eas in tempore producere: at Deus res non producit ad extra necessario, sed liberrimè, ergo liberè amat creaturas existentes, seu quoad actualem earum existentiam: minor est de fide, & probatur breuiter contra Vuicleffum, quia si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, nullum actum liberum posset exercere, cùm liber non sit circa seipsum, aut circa creaturas possibiles, adeóque non esset agens liberum, contra superiùs dicta: & rursus nulla ab eo esset creata causa libera, quia nullum esse potest agens liberum per participationem, si non sit agens liberum per essentiam,

à quo talis perfectio participetur.

Vltima pars ostenditur, 1. ex Scriptura, Prouerb. 19. Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. Et Hebr, 6. volens Deus ostẽdere immobilitatem consilij sui 2. ex August. 12. Confess. cap. 15. vbi ait, Deum non velle modo hoc, modo illud: sed semel, & simul, & semper velle omnia quæ vult, non iterum, & iterum; neque nunc ista, nunc illa: neque velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus est 3. ratione, nam voluntas Dei libera spectari potest, vel secundum entitatem suam, vel secundum terminationem ad tale obiectum: at neutro modo mutari potest, non primò, cùm sic idem sit ac substantia Dei; nec secundo, tum quia voluntas inconstans indicat naturam realiter mutabilem; tum quia voluntatis leuitas dicit saltem quandam mutationem moralem, à summa Dei perfectione alienam.

Dices, eum non esse inconstantẽ, qui ob rationem aliquam magni momenti, sententiam mutat. Respondeo hoc verum esse, quando talis ratio non fuit præui-

sa, aut non satis penetrata, quod in Deo locum non habet. Quod autem dixit Deus Genes. 6. Pœnitet me fecisse hominem, intelligi debet quoad effectum, non quoad affectum: quia Deus deleuit hominem quem creauerat, ac si verè doluisset se eum creasse.

CONCLVSIO IV. Libera volitio Dei non est denominatio extrinseca, aut respectus rationis, neque perfectio realiter distincta ab essentia diuina sed ipsamet volitio necessaria qua Deus amat seipsum, quatenùs ita terminatur ad creaturas, vt posset ad eas non terminari.) Prima pars probatur, nam libera volitio est aliquid Deo intrinsecũ, cùm sit actus vitalis & immanens, ergo non potest consistere in denominatione extrinseca, orta à productione creaturarum, quatenus ita producuntur vt potuerint non produci. Confirmatur, quia priùs est quòd Deus velit creaturas liberè, quàm quòd eas producat; cum ideò illas producat, quia vult eas liberè, & non vice versa: ipsáque volitio libera sit æterna, & productio temporalis.

Secunda pars ostenditur, nam Deus à parte rei liberè vult, idque ab æterno, adeòque ante operationem intellectus

ſingentis reſpectus rationis, ergo volitio Dei libera non poteſt ſiue totaliter, ſiue partialiter conſtitui per tales reſpectus: præſertim quia ſunt Deo extrinſeci, & ſupponunt res producendas, ac proinde quod Deus liberè velit eas producere.

Tertia pars ſuadetur, quia ſi actus liber eſt aliquid diſtinctum realiter ab eſſentia diuina, ſequitur Deum eſſe cõpoſitum, habere potentialitatem, non eſſe ſummè perfectum, quæ & ſimilia admitti non poſſunt; neque putes iſta incommoda vitari, ſi quis dicat cum Caietano, actum liberum ita addere perfectionem realem diuinæ eſſentiæ, vt cum ea perfectè identificetur, eò ipſò quod illi aduenit; ſiquidem intelligi nequit, ens aliquod poſſibile & contingens perfectè identificari cum diuina eſſentia, quæ eſt ens abſoluta neceſſitate exiſtens.

Quarta denique pars ex dictis colligitur, nam volitio libera Dei, vel eſt totaliter in Deo, vel conſtituitur & completur per aliquid extrinſecum; hoc poſterius reiectum eſt, ergo prius illud affirmari debet Rurſus ſi volitio libera eſt totaliter in Deo, vel ea addit realitatem aliquam ſupra volitionem neceſſariam,

vel non, primum apertè falsum est, vt ostendimus, ergo secundum admitti debet: quare cùm volitio necessaria, vt sic, nullam dicat libertatem, consequens est liberam volitionem Dei esse ipsammet volitionem necessariam, quatenus ea est indifferens vt terminetur, aut non terminetur ad creaturas.

Confirmatur 1. nam volitio Dei est simpliciter infinita, ita vt æquiualeat infinitis volitionibus, & nolitionibus realiter distinctis: quare vt sit libera volitio, aut nolitio alicuius obiecti, non requiritur additio nouæ entitatis, sed tantum eiusdem volitionis libera terminario ad tale obiectum. Quemadmodum vt scientia Dei necessaria, sit scientia libera creaturarum, sufficit quòd ad eas liberè terminetur, cùm posset non terminari.

Confirmatur 2. nam libertas Dei non est potentialis, sed summè actualis, seu per modum actus purissimi, excludentis potentiam physicam tam actiuam, quàm passiuam, quæ in nostra libertate reperitur, Vnde indifferentia diuinæ libertatis non est in ordine ad actus internos, sicut nostra, sed in ordine ad obiecta externa. Itaque sicut voluntas nostra per seipsam immediate, adeóque si-

ne reali mutatione se determinat ad agendum, cùm posset non agere; ita nihil vetat quin diuina entitas per seipsam, & sine vlla realitate superaddita, possit terminari ad hoc vel illud obiectum, & induere rationem volitionis liberæ. Et quemadmodum si voluntas nostra esset ens necessarium, id non impediret, quo minùs actus ab ea elicitus libere fieret, si cum tali necessitate, conseruaret indifferentiam quam habet ad agendum, vel non agendum. Ita quamuis volitio Dei sit necessaria quoad entitatem, cùm tamen ea sit indifferens, vt seipsam terminet, aut non terminet ad creaturas, hinc fit vt quatenus se libere terminat ad hanc, vel illam, dicatur volitio libera.

Dices forma non potest esse in subiecto, quin illi conferat totum suum effectum formalem, ergo cùm volitio necessaria sit veluti forma quædam existens in Deo, tribuet illi velle necessariò omnia volibilia. Respondeo effectum formalem volitionis diuinæ esse necessariò facere vt Deus amet omnia volibilia, non tamen, vt Deus ea omnia amet necessario, sed singula, pro cuiusque exigentia, & capacitate.

SECTIO III.

Quomodo Dei voluntas non habeat causam & sit rerum Causa, nec voluntati humanæ necessitatem afferat.

CONCLVSIO I.

VOluntas Dei est causa rerum.) In hoc non est difficultas, præsertim iis suppositis quæ de libertate Dei capite præcedenti dicta sunt. Dubitatur autem 1. Num intellectus diuinus propinquiùs, seu immediatiùs concurrat quàm voluntas: qua in re dicendum videtur, vtrumque in suo genere immediate operari: voluntatem quidem quoad applicationem & exercitium, intellectum verò quoad directionem, & veluti specificationem.

Secundò dubitatur, an sit in Deo potentia quædam executiua, ratione distincta ab intellectu & voluntate & quidnã illa sit. Respondeo 1. talem potentiam admittendam esse, siquidem non ideò Deus est omnipotens, quia cognoscit, aut quia vult omnia; quin potiùs omnia cognoscit, quia est omnipotens, omniaque

eminenter continentur in illius omnipotentia, neque potest velle aliquid nisi quia est omnipotens ad illud faciendum; quare secundum rationem est prior Dei omnipotentia, quàm intellectus, aut voluntas illius.

Respondeo 2. potentiam exequentem in Deo esse ipsammet essentiã diuinam: quia sicut illa eminenter continet omnia possibilia, ita est omnipotens ad producendum quicquid voluerit; si accedat scientia vt dirigens, & voluntas vt eligens & applicans.

Tertiò dubitatur qualis sit potentia Dei, & ad quæ se extendat. Respondeo 1. ex S. Doct. 1. p. q. 25 art. 2. potentiam Dei esse infinitam, vt patet, tum ex illo Lucæ 1. Quia non erit impossibile apud Deum, omne verbum; tum quia nullus possibilis est effectus adeò perfectus, qui per illam produci non possit. Hinc autẽ patet in Deo veram esse omnipotentiam, quæ in eo consistit, vt possit Deus facere quicquid absolute fieri potest, seu quicquid nõ implicat contradictionem, vt colligitur ex art. 3.

Respondeo 2, ex art. 4. Deum potuisse multa facere quæ nõ fecit, & ex art. 5. potuisse etiam producere species nobiliores iis, quas de facto produxit, item-

que res productas potuisse meliores facere quoad accidentia, non essentialiter, eo quòd essentiæ rerum sunt immutabiles; non tamen posse Deum aliquid facere melius vnione hypostatica, beatitudine sanctorum, & maternitate Virginis Deiparæ, vt habes articulo 6. in responsione ad 4. quia nempe illa sumunt dignitatem quandam infinitam, ex speciali ordine quem ad Deum habent.

CONCLVSIO II. Nulla potest dari causa propria diuinæ volitionis siue efficiens, siue finalis; potest tamen dari impropria seu virtualis, imò vna res creata potest ipsi esse aliquo modo proxima ratio volendi aliam.) Prima pars est S. Thomæ q. 19. art. 5. vbi ex eo probat nullam esse causam diuinæ voluntatis, quia idem nequit esse causa sui ipsius; at Deus vnico actu vult finem & media, quare velle finem non est ei causa volendi media.

Accedit quòd volitio diuina non distinguitur à parte rei à natura diuina, cuius nulla assignari potest causa efficiens aut finalis proprie dicta cùm Deus sit ens à se; & à quocunque alio independens.

Secunda pars suadetur, quia sicut

vnum attributum est causa virtualis alterius, puritas immutabilitatis, hæc æternitatis; ita non repugnat concipere in Deo voluntatem, veluti radicem volitionis actualis, & causam virtualem illius: & similiter quia Deus vult omnes creaturas propter seipsum, dici potest volitionem sui, iuxta nostrum conceptum, esse finem volitionis creaturarum.

Tertia denique suadetur, nam vix negari potest, quin Deus aliqua re creata proximè moueatur ad volendum aliquid: cùm ex Scriptura & patribus aperte constet, Deum homines amare, ab illis amatur, illis varia conferre beneficia, quia illa postulant, aut merentur; eos iustificare, quia ad gratiam se disponunt, &c. Neque enim aliquo fundamento dici potest, eiusmodi locutiones causales toties repetitas. improprie & metaphorice intelligendas esse, ita vt non contineant rationem ex parte obiecti creati, propter quam Deus hoc, aut illud velit. Præsertim quia in eo agendi modo nulla assignari potest imperfectio, quæ supremam Dei independentiam & dignitatem dedeceat: eo quod etsi proxime vnũ velit propter aliud, omnia tamen finaliter reducit ad seipsum, & ad suam bonitatem: cuius maxime gratia operatur.

CONCLVSIO III. Deus non necessitat voluntatem nostram ad agendum.) Est de fide contra huius temporis hæreticos, qui oppositum docent, adeóque existimant nos non agere liberè: probari autem breuiter potest ex iis quæ Scriptura sacra, Patres antiqui, & Theologi communiter de libertate tradunt, ea enim apertè ostendunt Deum non imponere hominibus agendi necessitatem, sed eos relinquere in manu consilij sui, id est; cum perfecta indifferentia ad agendum vel non agendum, itemque ad agendum hoc vel illud.

Idem sumitur ex vulgari definitione libertatis, ab omnibus communiter approbata, qua illud liberum dicitur, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, vel non agere; nam inter prærequisita ad agendum, requiritur maximè concursus Dei in actu primo paratus, cum sine illo causa secunda non possit dici completè & proximè potens ad agendum: vnde eo concursu sic ablato, adhuc voluntas quæ libera est, & liberè operatur, manet indifferens ad vtrumlibet, neque habet necessitatem eligendi vnam partem determinatè.

Denique Concilium Trident. volens iuxta mentem Scripturæ sacræ, & san-

ctorum Patrum, libertatem nostram defendere in actibus supernaturalibus, in quibus specialis difficultas reperitur, propter influxum gratiæ efficacis ad eos requisitæ, quæ agendi necessitatem inducere videtur, sapienter statuit sess. 6. cap. 5. & can. 4. hominem à Deo morum & excitatum posse gratiam abiicere, eique dissentire si velit; quare post adeò claram huius Concilij definitionem, dici non potest à viro Catholico, de rebus fidei bene (vt par est) sentiente, gratiam diuinam nobis imponere necessitatem, agendi, aut quod in idem redit, voluntatem nostram non posse eam abiicere, seu illi dissentire, Adhuc tamen grauis controuersia manet inter recentiores Theologos, de vero sensu prædictæ definitionis, cùm alij contendant eam debere intelligi in sensu composito, alij dũtaxat in sensu diuiso, qua de re fusè in suaui Cõcordia disput. 2. sect. 4.

CONCLVSIO IV. Absolutè loquendo & nulla suppositione facta, nullus esset in rebus effectus contingens seu liber, si Deus ageret ex necessitate naturæ, ex supradictis: essent tamen effectus contingentes & liberi, si supponas dari causas contingentes, Deumque ex necessitate naturæ iis offerre eundem concursum

concursum, quem nunc de facto illis liberè exhibet.) Ratio est euidens, quia posito tali concursu in actu primo, voluntas non necessitaretur ad vnum, sed maneret indifferens ad vtrumlibet, ergo ageret liberè. Confirmatur, nam Deus supposito æterno decreto nobiscum concurrendi, non potest nobis eiusmodi cõcursum denegare, quin potiùs non minùs necesse est vt nobis illum exhibeat; quàm si ageret ex necessitate naturæ, & tamen liberè operamur: ergo quamuis Deus necessario ad actus nostros influeret, quantum esset ex parte sua, illa necessitas libertatis vsum in nobis nequaquam impediret.

Neque hinc sequitur, quòd vera radix contingentiæ actuum nostrorum non sit voluntas Dei, sed nostra: quia etsi quod actus nostri sint liberi & contingentes, hoc proximè habeant à nostra volũtate, quatenus hæc antequam ageret, potuit non agere, id tamen vltimatè petendum est à summa efficacia voluntatis Dei, qui vt ait S. Doct, suprà, volens quædam fieri necessario, quædam cõtingenter vt sit ordo in rebus, ad complemẽtum vniuersi, quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, aliis contingentes & defectibiles.

SECTIO IV.

De Diuina volitionis affectibus amicitia iustitia, misericordia.

CONCLVSIO I.

IN Deo sunt quidam affectus voluntatis, non alij.) In primis quod amor sit in Deo probat S. Thòmas 1. p.qu.20. art.1. quia primus motus voluntatis, & cuiuslibet appetitiuæ virtutis est amor; siquidem priores sunt actus respicientes bonum quàm malum, cùm hoc non sit obiectum nisi secundarium, & per aliud, nempe vt opponitur bono. Rursus cùm illud sit naturaliter prius, quod est communius, inter actus qui in bonum feruntur prior erit amor quam alij; cum ille respiciat bonum in communi, reliqui vero in bonum ferantur sub aliqua speciali ratione cùm ergo voluntas sit in Deo. vt superiùs visum est sequitur etiam in eo amorem esse ponendum.

Secundò, desiderium quatenus fertur in bonum proprium nondum obtentum,

non est in Deo, vt indicat S. Thomas ad 2. quia scilicet Deus nullo bono sibi proprio carere potest; est tamen in Deo desiderium respectu boni alieni quatenus verè nobis & sincerè optat beatitudinem, quam nondum possidemus.

Deinde gaudium, seu delectatio, propriè est in Deò, vt tradit S. Thomas ibidem, & ratio est manifesta, nam gaudiũ est actus quo voluntas conquiescit in fruitione, seu possessione rei amatæ; at Deus in seipso perfectissimè quiescit, ergo in eo est gaudium respectu boni proprij. Imò cùm Deus verè creaturas amet, consequenter de bono illarũ gaudet, quando præsens est; sicut illud desiderat, quandiu obtentum non est.

Rursus in Deo est odium, vt perspicuũ est ex verbis illis Sapientiæ 14. Odio sunt Deo impius & impietas eius, & ex illis Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Ratio autem est, quia cùm Deus seipsũ summopere diligat non potest nõ odisse peccatum, quod ipsius maiestati & bonitati aduersatur, eique valde est iniuriosum. Hinc Deus peccatorem odit, non vt hominem, sed vt peccatorem; nec odio inimicitiæ propriè dicto, sed abominationis, vt vocant.

Nec refert quòd Deus peccatori pœ-

nam infligat, non enim ex odio eam illi infligit, sed potiùs ex sincero affectu quo correctionem & salutem illius optat. Quemadmodum Pater non ex odio vel displicentia personæ, sed ex amore percutit filium suum virga: vt nempe deinceps à peccato abstineat.

Præterea in Deo non est spes, cùm omnia bona perfectè possideat; nec desperatio, cùm nihil sit ipsi difficile, nedum impossibile; nec tristitia, cùm hæc versetur circa malũ præsens & inuolũtariũ Deus autem nõ sit capax vllius mali siue volũtarij, siue inuolũtarij, siue præsẽtis, siue futuri, nec audacia, cùm hæc aggrediatur opera ardua & periculosa, qualia nulla sũt respectu Dei, qui cũ infinitæ sit potẽtiæ, quicquid aggreditur summa facilitate, & sine vllo periculo frustrationis ad optatũ exitũ perducit.

Tandem ira non est in Deo proprie, sed tantum metaphorice, vt sumitur ex Thoma in eadem responsione ad 2. & patet, quia ex communiori sententia, ira essentialiter supponit dolorem, siue tristitiam cuius vicem rependat; Deus autem non est capax tristitiæ ex iam dictis, ergo neque iræ proprie dictæ.

CONCLVSIO II. Deus creaturas rationales diligit vero amore ami-

micitiæ.) Hoc patet primo ex iis locis Scripturæ, ex quibus constat homines iustos esse Dei amicos, vt cum Psal. 138. dicitur, Nimis honorati sunt amici tui Deus, &c. & Ioan 15. Iam non dicam vos seruos, vos autem dixi amicos: Item ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 6. vbi statuitur hominem per iustificationem fieri ex inimico amicum, porrò amicus est amici amicus, neque potest amicititia constare nisi inter duos se mutuo redamantes: quare cùm homo iustus sit Dei amicus, necesse est vt vicissim Deus sit hominis iusti amicus, seu quod illum ex vera atque sincera amicitia diligat.

Confirmatur, nam cùm Deus hominem iustum ex vera beneuolentia amet, optando ei verum & solidum bonum, vt ipsi bene sit; & aliunde homo per gratiam eleuetur ad statum supernaturalem, in quo fit quodammodo diuinæ consors naturæ, & acquirit ius ad beatitudinem, potestque Deum ex vera charitate diligere, nihil vetat quominùs vera amicitia inter Deum & hominem reperiri valeat.

Neque refert quòd ex Philosopho 8. Ethic. 5. amicitia nõ sit nisi inter æquales, nõ enim opus est vt hoc intelligatur de æqualitate arithmetica, sed tantum

de geometrica, ſeu proportionis, qualis inter Deum & hominem iuſtum, per gratiam ad filiationem Dei eleuatum quodammodo reperitur. Præſertim cùm ille eodem lib. Ethic. cap. 7. agnoſcat ſpeciem quandam amicitiæ inter ſuperiores & inferiores, quam vocat ſupereminentiæ, qualem eſſe ait inter regem & ſubditum, inter Deum & hominem.

Nota 1. Deum non amare creaturas irrationales amore amicitiæ, aut beneuolentiæ, tum quia illud non poteſt terminare amorem amicitiæ, quod nequit redamare illum à quo diligitur, at irrationalia nequeunt redamare Deum: tum quia inter amicos debet eſſe communicatio mutua bonorum, & voluntatum conſenſio, quæ & ſimilia nequeunt habere locum in irrationabilibus, vt perſpicuum eſt: quare cum nos ea non amemus ex amicitia; multò minùs dici poteſt, quòd Deus illa hoc modo diligat.

Nota 2. non incongrue dici poſſe, Deum amare creaturas irrationales amore concupiſcentiæ, tum quia illæ conducunt ad manifeſtationem attributorum diuinorum: tum quia Deus, licet non ſibi; hominibus tamen eas concupiſcit tanquam amicis, in quorum vti-

ſitatem productæ ſunt.

CONCLVSIO III. Deus magis diligit meliora.) Ita S. Thomas 1. p. q. 20. art. 4 quod probat, quia Deum magis diligere aliquid nihil aliud eſt quàm ei maius bonum velle; ſicque eatenus aliqua ſunt meliora, quatenus eis Deus maius bonum vult: vnde ſequitur quòd meliora plus diligat.

Notandum autem primò, Deum magis Chriſtũ vt hominem diligere, quàm totam vniuerſitatem creaturarum, vt habetur in reſponſione ad 1. quia vult illi maius bonum, nempe vt idem qui eſt homo, ſit Deus, per vnitatem perſonæ Verbi, quæ eſt eſſentialiter infinite perfecta.

Notandum 2. ſi fiat comparatio inter alios omnes homines, & omnes Angelos, etſi quoad naturalia bona Angeli à Deo magis amati fuerint quàm homines, aliunde tamen collectionem hominum magis eſſe dilectam, tum propter dignitatem quæ ex Verbi Incarnatione in totum genus humanum redundat, tum quia maiorem dilectionem erga homines Deus oſtendit, quàm erga Angelos, eò ipsò quòd illos per Verbi Incarnationem redimere voluerit, non iſtos.

An autem maior gratia, & gloria

fuerit collata toti collectioni hominũ, quam omnibus simul Angelis, adeóque etiam ex eo capite homines magis dilecti fuerint, satis probabiliter determinari non posse existimo; cùm non constet quantus sit Angelorum numerus, quantam gratiam acceperint in instanti creationis, quandiu, & per quales actus meruerint, &c.

Notandum rursus circa responsionem ad 3. esse præsumptuosum iudicare, an Deus magis Petrum quam Ioannem amauerit; quod puto debere intelligi cũ aliqua modificatione, si quis nimirum vni parti tanquam certæ firmiter adhæreat, & aliam vt omnino improbabilem aut falsam respuat: hoc enim præsumptionem quandam & temeritatem præ se fert, cùm ex sacris litteris vel aliunde non satis constet, quis prædictorum fuerit sanctior, Deóque charior; & pro vtraque parte afferri possint variæ coniecturæ non spernendæ, quæ rem valde dubiam relinquunt.

Notandum præterea circa responsionem ad 4. si fiat comparatio inter innocentem & pœnitentem, eum 1. magis à Deo diligi, qui plus habet gratiæ & gloriæ, siue sit innocens, siue sit pœnitens, 2. si cætera sint paria, innocentem

magis diligi quàm pœnitentem: siquidem illud bonum cæteris paribus est dignius & amabilius, quod nullum supponit malum, quodque inuictam & nunquam interruptam perseuerantiam in bono continet; quam id quod præcedentis sanctitatis iacturã, & peccatum quod destetur necessario supponit; at innocentia est bonum prioris generis, pœnitentia posterioris.

Notandum denique circa responsionem ad 5. si prædestinatus spectetur 1. pro tempore quo versatur in peccato mortali, sic eum à Deo non diligi, sed potiùs tanquam peccatorem odio haberi; cum contrà Deus ab æterno diligat reprobum, pro tempore quo gratia sanctificante instructus est. Si 2. pro tẽpore quo habet gratiam, tam in hac, quàm in futura vita, sic à Deo magis diligi quàm præscitum, quantumuis iustum: vnde etsi Deus secundum quid magis diligat reprobum quàm prædestinatum, simpliciter tamen magis hunc quam illum diligit.

CONCLVSIO IV. In Deo est iustitia proprie & stricte sumpta, prout est specialis virtus ab aliis distincta.) Probatur 1. quia Scriptura frequentissime indicat, Deum ex vera iustitia tri-

buere gloriam æternam, pro meritis bonorum operum: vt cum Matth. 20. proponit parabolam Patris-familias: conducentis operarios in vineam suam; & promittentis se illis daturum quod iustum fuerit, ac tandem post opus expletum reddentis vnicuique mercedem, & iubẽtis vt quisque tollat quod suũ est.

Item quando Paulus 2. ad Timoth. 4. ait Reposita mihi est corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex; & Hebr. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri: Nam corona iustitiæ operibus reddenda plane significat, in collatione beatitudinis exerceri iustitiam proprie dictam, ac præterea nisi tale præmium deberetur ex iustitia, Deus non esset iniustus illud denegando: siquidem non ageret contra iustitiam proprie dictam, etsi ageret contra fidelitatem.

Probatur 2. ex Patribus qui eidem sententiæ apertissimè fauent. August. lib. de natura & gratia cap. 2. Non enim, inquit, iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ, & serm. 16. de verbis Apostoli, Tenemus Deum debitorem, debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo; & subdit, nos posse Deo

dicere, redde quod promisisti; quia fecimus quod iussisti. Bernardus tract. de gratia & lib. arb. ait. Paulum 2. ad Tim. 1. Dei promissum appellare suum depositum, & addit promissum quidem ex misericordia, sed iam ex iustitia persoluendum. Similia habent alij passim.

Probatur 3. quia iustitia strictè sumpta est virtus reddens vnicuique quod suum est, seu id ad quod habet ius propriè dictum, sed homines supposita Dei promissione, per bona opera acquirunt ius ad gloriam æternam, eamque vt sic respiciunt, tanquam rem suam, & sibi debitam, vt patet ex iam dictis; ergo virtus qua Deus tribuit gloriam propter bona opera, est iustitia propriè dicta, ac proinde hæc in Deo admittenda est.

Nota 1. nullam dicere imperfectionem, quòd Deus propria sponte promittat hominibus præmium sub conditione operis, quodque posito opere teneatur suis stare promissis: hinc enim non sequitur proprie, Deum ipsum ordinari ad creaturas, sed tantum bona ipsius ex iustitia illis debita.

Nota 2. Deum non amittere perfectissimum dominiũ quod habet in creaturas, etsi supposito pacto dandi illis vitam æternam, non possit eas destruere; si-

cur non desinit esse perfectissime Dominus Angelorum, etsi supposito decreto quo statuit illos inæternũ cõseruare, non possit illos in nihilũ reducere; hinc enim tantum sequitur, dominium illud quoad talem vsum esse ligatum, qua in re nulla est imperfectio; cum eiusmodi impedimentum ex mero Dei beneplacito, saltẽ radicaliter, & remotè oriatur.

Nota 3. etsi inter patrem & filium, vt sic non fit vera iustitia, esse tamen, si pater filio speciale bonorum dominiũ concedere velit. At Deus concessit homini speciale dominium in suos actus, vultque vt per illos possit obtinere ius ad gloriam æternam.

Nota 4. licet Deus nequeat propriè constitui debitor erga homines, id non impedire, quin bona illius hominibus debeãtur. Ex qua distinctione varia loca Patrum in speciẽ pugnantia, possunt cõciliari; hincque lumen accipit egregius ille locus Augustini lib. 1. Confess. 4. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet quicquã nõ tuum? Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdẽs.

CONCLVSIO V. In Deo ponenda est misericordia.) Ita S. Thom. 1. p. q. 21. art. 3. vbi duo docet 1. misericordiam maximè esse Deo tribuendam, non quidem secundum passionis af-

fectum, ſed ſecundum effectum : Deus enim non afficitur ex miſeria alterius per triſtitiam, ſed repellit illius defectũ, & miſeriam iuxta illud Anſel. in Proſol. cap. 10. Miſericors es, non quia tu ſentis affectum, ſed quia nos ſentimus effectum, atque hoc ſufficit vt miſericordia ſit in Deo propriè & formaliter.

Docet 2. defectus non tolli niſi per collationem alicuius perfectionis, conferre autem rebus perfectionem ſpectare ad quatuor virtutes, nempe ad bonitatem, iuſtitiam, liberalitatem, & miſericordiam, ſed cum aliquo diſcrimine; nam communicare perfectiones præciſè, pertinet ad bonitatem eò quòd bonum eſt ſui diffuſiuum; eas verò conferre iuxta rerum proportionem, & naturalem exigentiam, ſpectat ad iuſtitiam legalem ſeu gubernatricem; quatenus autem Deus nullo modo attendens ad propriam vtilitatem, & ſine intuitu retributionis perfectiones largitur, hoc pertinet ad liberalitatem; quatenus denique omnes perfectiones à Deo rebus collatæ defectum aliquem expellunt, aut impediunt, ſic ſpectat ad miſericordiam latè ſumptam, prout ad omnes creaturas etiam ratione carentes extenditur: ad eandem verò propriè & ſtrictè

ſumptam, vt verſatur circa creaturas rationales; & beatitudinis capaces, ſi perfectio quam tribuit Deus, expellit miſeriam proprie dictam, ſeu quæ veræ fœlicitati opponitur.

Noea 1. ex art. 4. in quolibet opere Dei miſericordiam & veritatem ſeu iuſtitiam inueniri: Iuſtitiam quidem, tum quia Deus non poteſt aliquid facere, quod non ſit conueniens ſapiẽtiæ, & bonitati ipſius, eatenus ſibi ex decentia debitum; tum quia quicquid in rebus creatis facit, ſecundum conuenientem ordinem & proportionem facit, prout exigit rerum natura & bonum vniuerſi; miſericordiam verò, tum quia opus diuinæ iuſtitiæ ſemper præſupponit opus miſericordiæ, & in eo fundatur creaturæ enim non debetur aliquid niſi propter aliud in ea præexiſtens, quod aut proximè, aut ſaltem remotè à ſola bonitate diuina pendeat; tum quia ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia ſuæ bonitatis largiùs diſpenſare ſolet, quàm exigat proportio rei, & iuſtitia gubernatrix tribuens vnicuique quod ipſius natura exigit. Hæc autem debent intelligi de iuſtitia, & miſericordia latè & improptiè ſumptis vt perſpicuum eſt.

Nota 2. ex respons. ad 1. quædam opera tribui misericordiæ, quædam iustitiæ, quia in nonnullis magis apparet misericordia, & in aliis iustitia: vnde damnatio reproborum dicitur simpliciter opus iustitiæ, quia iustitia punitiua potiores partes in ea obtinet; in illa tamen apparet misericordia: non quidem totam miseriam depellens, sed etiam minuens, quatenus reprobi puniuntur citra codignum, id est, minori pœna quàm per se loquendo, & seclusa ordinatione Dei eorum peccatis sit debita; sicut vice versa prædestinati præmiantur vltra condignum, quatenus potuisset Deus sine iniustitia, minorem gloriam eorum operibus decernere, quàm de facto decreuerit,

---

SECTIO V.

De Prouidentiâ diuina & prædeterminatione Physicâ.

CONCLVSIO I.

POnenda est in Deo prouidentia.) Est de fide, vt patet ex Script. Sapient. 6. æqualiter cura est illi de omnibus:

Matth. 6. Respice volatilia cœli, &c. Rationem affert S. Thomas 1.p. q 12. art. 3. quia prouidentia nihil est aliud quàm ratio ordinis rerum in finem: at in Deo est talis ratio cùm operetur per intellectũ, adeóque necesse sit omnium effectuũ quos producit, rationem in eo præexistere.

Addit autem S. Doct. prouidentiam Deo non competere, si sumatur vt est ratio ordinis proprij actus, quia in Deo nihil est ordinabile in finem sed tantum si sumatur vt est ratio ordinatiua aliorum in finem; Deus enim omnia producit, & in finem ordinat. Et in responsione ad 2. monet rationem illam ordinis quæ dicitur prouidentia, esse æternam; dispositionem verò & executionem illius esse temporalem, & vocari gubernationem.

Nota 1. prouidentiam non esse constituendam formaliter in solo actu intellectus, sed etiam in actu voluntatis, cum prouidentia præter rationem ordinis mediorum ad finem, se tenentem ex parte intellectus, dicat curam aliquam & studium, adeóque voluntatem liberam rerum gerendarum, vt patet ex locis Scripturæ citatis.

Nota 2. prouidentiam vt spectat ad intellectum, non debere constitui in

actu imperij, quo decretum voluntatis intimatur; talis enim actus videtur superfluus, cum posita scientia naturali, qua Deus perfectè nouit per quæ media quælibet res possit in suum finem ordinari, simulque posito decreto efficaci, quo Deus statuit, vt talis res, per tale medium in suum finem dirigatur, necessario sequatur effectus à Deo praeuisus. Et quamuis talis actus admittatur, non videtur ratio prouidentiæ in eo posse constitui, cùm per illum prouidentia iam à Deo constituta, intimetur potentiæ executiuæ: quare probabilius, meo iudicio, sentiens si dicas, prouidentiam in suo conceptu formali adæquato includere, tam rationem ordinis mediorum ad finem, quàm propositum seu decretum liberum diuinæ voluntatis efficaciter intendentis talem finem, & talia media eligentis.

CONCLVSIO II. In Deo est prouidentia rerũ omnium.) Ita S. Doct. qu.cit.art.2. quod probat, quia cum omne agens agat propter finem tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis; causalitas autem Dei qui est primum agens se extendit vsque ad omnia entia, non solùm quantum ad

principia speciei, sed etiam quantum ad principia indiuidualia, tam corruptibilium quam incorruptibilium: vnde necesse est omnia quæ quouis modo habent esse à Deo, ordinata esse in finem, sicque illius subdi prouidentiæ.

Hic autem quæri potest 1. an aliquis euentus sit casualis & fortuitus respectu diuinæ prouidentiæ. Respondet S. Thom. ad 1. negatiuè quod probat, quia effectus dicitur casualis vel fortuitus; respectu causæ cuius ordinem effugit at quamuis possit aliquis effectus exire ordinem causæ particularis, eò quòd hæc potest impediri ab alia causa particulari, non tamen potest effugere ordinem causæ vniuersalis; cum omnes causæ particulares, tam impedientes quàm impeditæ, sub vniuersali concludantur, omnes illius concursu ad operandum egeant, & nulla possit impedire, ne quod ipsa intendit, aut futurum præuidit eueniat.

Quæritur 2. An mala culpæ, sub diuinam prouidentiam cadant. Respondeo affirmatiuè, nam hæc mala dupliciter considerantur, vel formaliter vt sunt mala & peccata, vel materialiter prout habent entitatem quandã realem, & positiuam; vtroque modo sub diuinã pro-

uidentiam cadunt: primò quidem, quia etsi Deus non sit auctor peccatorum, ea tamen permittit, & ordinat in bonum finem, adeóque sunt materia circa quam diuina prouidentia versatur. Secundò etiam, quia etsi Deus non sit causa mouens ad entitatem materialem peccati, ad illam tamen concurrit, quando voluntas creata ad eam se determinat; cùm enim eiusmodi entitas sit aliquid reale & physicum, repugnat quod existat in rerum natura, sine influxu primæ causæ, cuius proinde prouidentia sicut & causalitas ad eam se extendit.

CONCLVSIO III. Deus immediatè rebus omnibus prouidet, quantum ad rationem ordinis, licet non quoad executionem.)ita S. Thomas 1. p qu. 22. art. 3. vbi præmittit ad prouidentiã duo pertinere, nempe rationem ordinis rerum prouisarum in finem, & executionem ordinis, quæ gubernatio dicitur: quo posito docet quantum ad primum horum, Deum immediate omnibus prouidere, quia in suo intellectu habet rationem omnium effectuum, & causarum per quas produci debent; quantum verò ad secundum, quædam esse media diuinæ prouidentiæ, quia Deus inferiora gubernat per superiora

non ex defectu virtutis, sed ex abundantia suæ bonitatis, ut scilicet dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. Quod non ita debet intelligi, vt ipse Deus per se non exequatur ordinem à sua prouidentia in rebus præstitutum, sed ita vt eum non exequatur nisi cum causis secundis, simul ad eundem concurrentibus.

Nota ex art. 4. prouidentiam diuinam quibusdam rebus necessitatem imponere, non autem omnibus, quia ad illam spectat res omnes ordinare in finem, non modo separatum qui est diuina bonitas, sed etiam in ipsis rebus existentem, qui est perfectio vniuersi; at talis perfectio non esset, si omnes gradus essendi non inuenirentur in rebus, quare ad prouidentiam diuinam pertinet, omnes gradus entium producere; adeóque præparare causas necessarias & contingentes, vt ex his effectus necessarij & contingentes oriantur.

CONCLVSIO IV. Prouidentia diuina non semper assequitur finem particularem ad quem res ordinat.) Hoc patet tam in prouidentia naturali quam in supernaturali; nam in primis res naturales ordinantur à Deo ad suos fines particulares sibi proportionatos, à quorum

tamen consecutione non rarò impediuntur, vt patet quando contingunt effectus monstrosi, & casuales.

Deinde Deus, ex vera & sincera intentione saluandi omnes homines, præparauit illis media sufficientia per quæ possent saluari si vellent, & tamen omnes de facto non saluantur; ergo prouidentia non obtinet finem illum particularem ad quem eiusmodi media destinat; idque obseruat sanctus Thom. 1. distinct. 40. quæst. 1. art. 2.

Nota oppositũ non colligi ex collecta quæ recitatur Dominica septima post Pentecost, vbi ita habetur; Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur; verum enim est, diuinam prouidentiam nunquam falli, etsi non semper finem particularem obtineat; tum quia Deus probè scit media quæ destinat ad talem finem, ex defectu causæ secundæ effectum non habitura; tum quia licet aliquid recedere videatur à diuina prouidentia secundum vnum ordinem, in illam relabitur secundum alium, vt notat S. Thom. 1. p. q. 9. art. 6.

CONCLVSIO V. Physica prædeterminatio cum nostræ libertatis vsu nullo modo cohærere potest, adeóque

repugnat quòd prouidentia diuina hominem physice prædeterminet ad actus liberos.) Probatur 1. quia ex sententia Ansel lib. 2. cur Deus homo, cap. 18. in Scholis receptissima, necessitas antecedēs repugnat libertati quoad vsum & exercitiū, & sola consequens cum ea cohæret; necessitas autem inducta per physicā prædeterminationē est vere antecedens, & nullo modo consequens, cùm antecedat, & causet physice actum voluntatis nostræ eumque non supponat vt iam in præscientia Dei positum, aut ponendum sub conditione.

Dices 1. necessitatem antecedentem vt venit à Deo, non tollere libertatem, vt patet in negatione Petri quæ fuit libera, etsi posita antecedente Christi prædictione, euenerit necessariò. Verùm hoc exemplum non est ad propositum, quia etsi prædictio Christi negationē Petri tempore præcesserit, ordine tamen rationis fuit ea posterior; cùm non ideò Petrus Christum negauerit; quia Christus predixit, quin potius prædixerit Christus, quia Petrus vere negaturus erat: quare necessitas negationis orta ex Christi prædictione, non erat antecedens, sed consequens.

Dices 2. Patres Dominicanos in priuatis colloquiis, plerúmque iam affirma-

re solitos, in eorum sententia, posita motione physicè prædeterminante, voluntatem non agere necessariò, sed tantùm infallibiliter. Verùm qui ita loquuntur, non satis sincerè videntur agere: nam cũ non admittant infallibilitatem tantùm moralem, quæ potest effectu carere nec metaphysicam consequentem, ortam ex scientia Dei conditionata planè infallibili, & frustrationi minimè obnoxia, sequitur eos loqui de infallibilitate metaphysica antecedente, orta præcisè ex motione diuina, & vi illius intrinseca, antecedenter ad quamcumque præuisionem operationis futuræ. At eiusmodi infallibilitas, tam certò coniuncta est cum effectu, ex vi solius motionis diuinæ, vt posita motione illa, possibile non sit voluntatem non agere; adeóque necesse sit eam agere, idque ea necessitate antecedente planè ineluctabili, quam Bannez & aluarez perspicuè admittunt, quãque omnes sinceri physicæ prædeterminationis defensores probare tenẽtur, si cõsequenter loqui velint. Si quis tamen quandã prædeterminationẽ physicam effinxerit, per quam absolutè velit nõ imponi voluntati ea præuentæ, necessitatẽ agendi, moneo arguméta nostra contra eiusmodi prædeterminationem non dirigi; sed contra aliam longe

diuersam, vt iam non semel alibi, à nobis obseruatum fuit.

Probatur 2. quia illud liberum dicitur, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel nõ agere, at posita physica prædeterminatione ad agendum, voluntas non potest non agere, sed necessario agit illud vnum ad quod impellitur, ergo non agit libere. Maior patet ex vulgari definitione libertatis, apud Theologos & Philosophos, tam antiquos, quàm recentiores communissime recepta; minor vero non negatur ab aduersariis, quando sincere exponunt quid per physicam prædeterminationem intelligant.

Dices, non esse de ratione libertatis, quòd in sensu composito cum omnibus requisitis ad agendum, voluntas possit operari, vel non operari, sed satis esse quòd id possit in sensu diuiso Contrà, nam iuxta hanc explicationem tribuenda erit libertas amori beatifico, & actionibus brutorum? hæc enim & similia non sunt necessaria, nisi in sensu composito cum omnibus ad agendum prærequisitis. Deinde quid iuuat meam libertatem, quod possim non agere in sensu diuiso, si mihi impossibile sit vt faciam sensum diuisum.

Instabis

Instabis definitionem allatam libertatis veram esse in sensu composito, si cōpositio fiat inter omnia ad agendum prærequisita, & potentiam non agendi; non tamen si fiat compositio inter illa, & carentiam operationis. At certè hoc gratis dicitur, quia ex communi omniū sensu, positis omnibus ad agendum prærequisitis, voluntas habet potentiā proximam & expeditam ad non agendum, adeóque potest si velit nō agere, seu ponere carentiam operationis. Eò vel maximè quia inter omnia prærequisita ad agendum per se spectata, & negationem actionis nulla assignari potest oppositio, ratione cuius repugnet ea simul componi in eadem voluntate.

Nota ad soluenda omnia aduersariorū argumenta, quæ pro physica prædeterminatione afferri solent, perperam congeri testimonia & rationes quibus probatur, Deum præfinire actus nostros, & voluntatem nostram eos applicare, mouere, inclinare, impellere; Ista enim & similia vel, coniuncta sunt cum necessitate agendi, vel non: si non sunt coniuncta, ex iis probari non potest physica prædeterminatio, cùm hæc omnium consensu necessitatem agendi inferat. Si verò ex iis necessitas agendi infertur, in-

ſtamus ea vt ſummum debere intelligi de neceſſitate conſequente, quam nos admittimus, non autem de neceſſitate antecedente: qualis ea eſt quæ infertur per prædeterminationem phyſicam. Vnde illa propoſitio, neceſſe eſt eum conuerti, quem Deus efficaciter vult conuertere, item illa, impoſſibile eſt quòd ille non conuertatur, quem Deus abſolutè vult conuertere, aliæque ſimiles quibus interdum Patres, & Scholaſtici vtuntur, nullo modo cauſam prædeterminantium iuuant, cùm, ſemper contendamus dictas propoſitiones non poſſe, nec debere intelligi niſi de neceſſitate conſequente, ipſiſque probandum ſuperſit eas de neceſſitate antecedente, qualis ea eſt quæ in phyſica prædeterminatione eſſentialiter includitur, accipiendas eſſe.

CONCLVSIO VI. Nullo modo admittendum eſt quòd Deus voluntatẽ noſtram phyſicè prædeterminet ad actus malos.) Probatur 1. ex Conciliis, Arauſicanum 2. cap. 25. ita habet. Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illos anathema dicimus: At quid quæſo eſt

aliquem prædestinare ad malum? sanè aliud nihil quàm efficaci decreto statuere, vt ille actum malum perpetret, eumque ad talem actum efficaciter impellere. Et Concilium Trident. sess. 6. can. 6. eos dãnat qui dicunt, Deũ operari mala opera non solùm permissiuè, sed etiam propriè & per se; at Deus propriè, & per se operatur opera mala, & non tantùm permissiuè, si decreto absoluto statuit vt ea fiant, & ad illa patranda voluntatem physicè prædeterminat.

Probatur 2. ex Patribus, Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 4. Deus, inquit, omnia quorum auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est auctor, iustus est vltor. At negari non potest, quin homo puniatur propter ipsos actus materiales peccatorum: verbi causa, propter actuale homicidium, vel adulteriũ realiter spectatum: ergo Deus ex mente Augustini, non est causa quòd homo eiusmodi actus eliciat: esset autem sine dubio, si illum ad eos physicè impelleret, & prædeterminaret. Quis etiam capiat hominem iustè puniri propter actus prauos, si ad eos fuit ab ipsomet Deo impulsus per motionem physicè prædeterminantem, id est tam efficacem, vt eâ

positâ impossibile sit non malè agere?

Augustinum sequutus Prosper respõsione 10. ad obiectiones Vincentianas. Detestanda, inquit, & abominanda opinio, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem; cuius prædestinatio, nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est; vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas, adulteria enim maritatarum, & corruptelas virginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare, nec disponere, sed punire. In quibus verbis ponderandum est, Prosperum disertè loqui de ipsis malis actibus realiter spectatis, & graui censura damnare eam sententiam, quæ tales actus in Deũ, vt in causam impellentem refert. Vnde sine fundamento dicunt aliqui, prædicta & similia debere intelligi de actibus malis formaliter vt mali sunt; præsertim cùm ij quos reprehendebant Patres non assererent, Deum nos impellere ad actus malos vt formaliter mali sunt.

Probatur 3. variis rationibus; quarum prima est, quia homo qui peccat, habet auxilium sufficiens, vt possit peccatum vitare, si velit; at nullum est tale auxilium, si physicè prædeterminatur ad actũ malum, vt per se notum videtur; siquidẽ

posita tali motione, impossibile est vt non peccet, sub quacunque gratia constitutus sit.

Secunda est, quia homo peccat liberè, ergo non prædeterminatur physicè ad actum peccati. Sequela patet ex conclusione præcedenti, vbi ostendimus physicam prædeternationem non stare cum vsu nostræ libertatis.

Tertia, de fide est Deum non velle peccatum, at oppositum sequeretur si nos prædeterminaret ad actus prauos: siquidem nihil magis volumus quàm id quod decreto absoluto, & efficaci volumus vt fiat, idque ex nobis ipsis, seu aliũde minimè impulsi, quodque mediis efficassimis fieri curamus, eo modo quo statuimus.

Quarta, si Deus voluntatem nostram physicè prædeterminaret ad actum peccati, esset causa peccati, at hoc dici non potest, ergo neque illud; sequela maioris ostenditur, nã si dæmon dicitur causa peccati, quatenus te inducit ad actum prauum, variis suasionibus quas facilè cum diuino auxilio repellere potes; quãtò magis Deus dicetur causa peccati, si te physicè prædeterminat ad actum malum? Imo si tu ipse es causa peccati, quatenus te determinas ad actum malũ,

à fortiori Deus erit causa peccati, si non te determinas ad talem actum nisi iam ab illo ad eundem actum prædeterminatus.

Dices, ideò Deum non esse causam peccati, quia prædeterminat tantum ad entitatem & substantiam peccati, seu ad actum vt actus est, non autem ad malitiam illius. Verùm hæc responsio gratis conficta est, quia quod per se directè est causa vt ponatur aliquid, consequenter est causa, vt ponatur aliud, quod cum eo necessario & inseparabiliter coniunctum est; at malitia est inseparabilis ab entitate & substantia peccati, prout ista hic & nunc ponitur ab homine rationis cõpote: ergo si Deus est causa quòd homo in his circunstantiis ponat entitatem & substantiam peccati, consequenter est etiam causa quòd formale peccati ab eo ponatur. Eo vel maximè, quia quando Thomistæ dicunt Deum prædeterminare ad actum prauum, vt actus est, non loquuntur de ratione generica actionis; quæ vt sic non est moraliter mala, sed de tali actu in specie, vt est verbi causa, odium Dei, aut blasphemia, qua ratione malitiam essentialiter, adeóque inseparabiliter coniunctam habet.

Nota 1. Deum non sic vti prauis ho-

minibus tanquam instrumentis ad alios debellandos aut affligendos, vt eos prædeterminet ad eiusmodi actus, sed partim quia permittit vt mali aliis noceãt, partim quia iusto iudicio eos deserit, quibus nocumentum infertur, non dans eis adiutorium quo malum sibi imminens caueant.

Nota 2. omne quidem ens per participationem reducendum esse ad ens per essentiam, non tamen eodem modo; quia licet Deus recte & merito prædeterminet ea omnia quæ se solo facturus est, non tamen æquum est vt se solo, & non attendendo ad exigentiam voluntatis creatæ, eam prædeterminet ad omnes actus siue bonos, siue malos qui in tempore ab ea proditurí sunt. Neque propterea sequitur multa esse prima principia, quia etsi voluntas creata non indigeat prædeterminari ad agendum, nihil tamen siue intimo Dei influxu conseruante & cooperante operari potest, quod repugnat rationi primi principij. Plura ad has duas Conclusiones spectantia videnda sunt in suaui Concordia disp. 2. vbi præcipua incommoda quæ ex physica prædeterminatione sequuntur latissime tractauimus: omnesque aduersariorum euasiones, quibus argumtnta nostra

eludi possunt, satis accuratê pro tenuitate nostra occupauimus.

SECTIO. VI.

De Prædestinatione.

CONCLVSIO I.

IN Deo de facto admittenda est aliquorum prædestinatio.) Est de fide, probaturque primò ex Script. Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: Et Ephes. 1. Prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secũdum consilium voluntatis suæ. Mitto loca quæ testantur aliquos à Deo esse electos, aut eorum nomina scripta esse in cœlis; ex his enim & similibus apertê deducitur prædestinationis existentia, sicut ex innumeris Patrum testimoniis, quæ hîc recensere superfluum foret.

Secundò idem ratione ostenditur, nam prædestinare est ab æterno aliquibus destinare certa media, per quæ vitã æternam efficaciter consequantur; atqui Deus ab æterno nonnullis eiusmodi media destinauit, ergo & eos prædestinauit.

Probatur minor, nam de fide est aliquos peruenire ad finem vltimum vitæ æternæ, idque per auxilia supernaturalia & efficacia ipsis à Deo concessa; Deus autē est agens per intellectum & voluntatē, nihilque agit in tempore nisi quod se acturum ab æterno decreuit.

Nota prædestinationem non tollere libertatem, quia licet posita prædestinatione necesse sit in sensu cōposito prædestinatum saluari, ea tamen necessitas non est antecedens, sed consequens, cùm supponat aut præscientiam absolutam perseuerantiæ finalis, aut certè sciētiam conditionatam qua Deus nouit Petrum, per talia auxilia alioqui repudiabilia, & minimè prædeterminantia saluandum, si illi dentur. Quinam autem ex his modis sit probabilior, constabit ex sequenti capite.

CONCLVSIO II. Prædestinatio est decretum absolutum quo Deus ab æterno aliquos homines vel Angelos elegit, seu destinauit ad vitam æternā: per certa media supernaturalia quæ nouit effectū habitura, infallibiliter consequendam.) Ex qua definitione nonnulla colligi debent.

Primò, prædestinationem esse aliquem actum in Deo ab æterno existentem, per

quem Deus intrinsecè denominatur prædestinans, creaturæ verò rationales extrinsecè prædestinatæ; ita vt subiectum, aut quasi subiectum prædestinationis sit ipse Deus; obiectum vero illius sint Angeli, & homines qui de facto saluantur.

Collige secundò, ad prædestinationē requiri non modo actum intellectus, sed etiam actum voluntatis, vt patet, quia videt Deus per quæ auxilia possint saluari multi homines, qui tamen nō sunt prædestinati: quare vt aliquis dicatur à Deo prædestinari, præter notitiam illam requiritur actus voluntatis, quo Deus statuit eum transmittere ad vitā æternam per talia media. Vnde quia talis actus est liber, prædestinatio in Deo est absolutà libera, esto scientia illa præcedens sit necessaria, saltem supposita veritate obiecti.

Collige tertiò, in quo prædestinatio & prouidentia conueniant, & discrepent inter se: conueniunt quod prouidentia etiam complectitur actus intellectus & voluntatis, vt patet ex supradictis: discrepant verò, tum quia materia prouidentiæ latiùs patet quàm prædestinationis, tum quia prædestinatio suum finē particularē in quolibet prædestinato infallibiliter obtinet.

CONCLVSIO III. Varij sunt

errores circa prædeſtinationem ad gratiam.) Vt alios omittam, pauca hîc de Pelagianorum & Semipelagianorum errore dicenda ſunt.

Quod ſpectat ad errorem Pelagianorum, vnum eſt certum, & aliud de quo controuertitur. Certum eſt Pelagium eiuſque ſequaces aliquando docuiſſe. Primò hominem ex ſolis naturæ viribus, ſine vlla gratia interna vera & ſupernaturali, poſſe omnia præcepta ſeruare & ſalutem conſequi. Secundò ideò hominem eſſe prædeſtinatum, & electum ad gloriam, quia præuidit Deus eum bene operaturum naturæ viribus, nullo internæ gratiæ auxilio ſuffultis.

Eſt autem dubitatio inter recentiores, an ipſe Pelagius poſteà hunc errorem, ſaltem ex parte retractauerit, adeò vt veram gratiam internam ordinis ſupernaturalis admiſerit. Recẽtiores Thomiſtæ affirmant, exiſtimantes eum tandem poſt varias diſputationes cum Auguſt. habitas, agnouiſſe gratiam ad poſſe, quam ponebat in apertione, ſeu illuminatione oculorum cordis, & in ſuſcitatione ſtupentis voluntatis, aliiſque id genus monitionibus quæ ſpectant ad gratiam ſufficientem, nunquam tamen admiſiſſe gratiam efficacem, qua Deus.

facit, vt infallibiliter bene operemur. Oppositum tamen est verius, nam etsi interdum Pelagius verbis magnificis gratiam commendauerit, nunquam tamen ex animo pristinum errorem retractauit, vt patet ex Aug toto ferè lib. de gratia Christi, speciatim cap. 3.4.6.7.9. 41. & 42. ex quibus manifestum est prædictum hæreticum conatum esse, variis verborum inuolucris suum errorem obtegere, & nomine gratiæ nunquam intellexisse veram gratiam internam & supernaturalem, sed tantum liberum arbitrium à Deo gratis collatum, itemque legem & doctrinam externam, qua naturam iuuari dicebat.

Vnde Pelagius per illuminationem oculorum & suscitationem stupentis voluntatis, nihil aliud intellexit quàm legem externam quatenus hæc docet quæ agenda sunt, & quantum est ex se, obiectiuè excitat voluntatem nostram, præmia aut pœnas proponendo, vt bene operemur, & peccata fugiamus.

Quod attinet ad errorem Semipelagianorum, seu Massiliensium, ij dicebāt, Primo nos posse propriis viribus naturæ bene incipere quoad negotiū salutis, nō tamen opus inchoatum perficere, sine Dei auxilio. Secundo, illud initium à

nobis appositum aduocare, & aliquo modo mereri adiutorium gratiæ, necessarium ad bene operandum & perseuerandum. Tertiò, Deum nos prædestinare ad gratiam & gloriam, propter tenuem illum conatum à nobis appositum.

Dubitatur autem de quo merito, & de qua gratia Semipelagiani loquerentur. Respondeo 1. eos locutos de merito imperfecto, quod congruum appellari solet, non autem de merito condigno, vt liquet ex August. lib. de prædestinatione SS. cap. 2.

Respondeo 2. eos debere intelligi de gratia adiuuante interna & supernaturali, nam cum excluderent gratiam propriè præuenientem, si vlterius negassent adiuuantem, nullum actum supernaturalem potuissent agnoscere, & consequenter debuissent negare gratiam sanctificantem; sicque quoad negotium salutis iam ex toto essent Pelagiani, & non Semipelagiani.

CONCLVSIO IV. Ex parte prædestinati non datur causa prædestinationis ad primam gratiam.)Ratio est, quia ex fide, non potest homo mereri primam gratiam, ergo neque vt prædestinetur ad illam: confirmatur ex verbis

illis Apostoli 1. Corinth. 4. Quis enim te discernit? &c. Hinc enim colligitur hominem non esse causam illius discriminis, quo prædestinatus distinguitur à non prædestinato, sed meram misericordiam Dei tale discrimen inter vtrumque constituentis: quod falsum esset, si homo naturaliter Deo præberet motiuum, seu rationem eum prædestinandi præ alio; ad gratiæ auxilia quibus salus comparatur.

Quo loco aduerte 1. iam dicta ita debere intelligi, vt nequeat homo mereri prædestinationem, per opera antecedentia primam gratiam actualem, eò quòd quidquid talem gratiam præcedit, est ordinis naturalis, adeóque nimis leue & improportionatum, vt possit esse meritum, siue condignum, siue etiam congruum respectu primæ gratiæ, aut prædestinationis ad illam.

Dices, cur non potest homo mereri primam gratiam de congruo, cùm peccator gratiam iustificantem gratis recipiat, etsi eam mereatur de congruo? Resp. causam discriminis esse, quia cùm peccator intrinsece sit indignus gratia sanctificante, meritum congruum illius operibus aliunde, nimirum ex Spiritus sancti auxilio, adueniens, non impedit,

quin gratis iustificationem obtineat. At verò si homo ex meris naturæ viribus mereretur de congruo primam gratiam, iam ille secundum se, & ex personæ conditione haberet proportionem connaturalem cum tali præmio, quod proinde gratis illi non daretur.

Auerte 2. sententiam quæ refert primæ gratiæ collationem, in bonum vsum eiusdem gratiæ præuisum, nihil habere commune cum errore Semipelagianorum: illi enim affirmabant 1. hominem prædestinari ad gratiam, ex præuiso bono vsu solius liberi arbitrij, nulla gratia præuenti. 2. paruulos prædestinari propter opera bona quæ fecissent, si ad ætatem adultam peruenissent, adeóque propter opera absolute nunquã futura; prædicta vero sententia agit tantum de meritis ab ipsa gratia ortis, quæque absolute futura sunt, licet præuideantur sub conditione. Fatemur tamen sententiam illam parum habere probabilitatis, cùm vel solo exemplo Tyriorum satis ostendatur, merita conditionata Deum non mouere ad conferendam gratiam.

SECTIO VII.

De electione & reprobatione.

CONCLVSIO I.

PRobabilior est sentia quæ docet, electionem efficacem ad gloriam factam esse antecedenter ad absolutam præuisionem meritorum, adcóque esse merè gratuitam.) Rationes variæ sunt, & non spernendæ, quibus id suadetur. Prima, negari non potest quin Scriptura ei valde faueat plerisque in locis, ac speciatim Sap. 4. Matth. 24. & Ioã. 10. vbi agitur de speciali cura quam Deus exercet erga prædestinatos dando operam vt à gratia finaliter non excidant; hinc enim aperte colligitur perseuerantiam finalem esse effectum electionis, non autem causam illius. Fauet etiam Paulus Rom. 8. aliisque locis agnoscens quandam vocationem propriam electorum; quam vocat secundum propositum, quia Deus eam tribuit prædestinatis ex efficaci proposito eos saluandi; & cap. 9. tradens discretionem Iacob electi ab Esaü reprobato non ex eorum operibus, sed

ex mera voluntate Dei, quem ait se habere instar figuli, facientis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Secunda, quia vt etiam fatentur nonnulli auctores sententiæ oppositæ, Augustinus apertissime locis prope innumeris ita comparat electionem efficacem ad gloriam, cum finali perseuerantia, vt velit hanc esse effectum illius; ita vt alicui tribuatur perseuerantia, quia ad beatitudinem electus est, & non vice versa ille eligatur, quia perseuerature est: vnde consequens est prædestinatos non eligi ex præuisis meritis, sed ex gratuita Dei voluntate, cuius vi tribuuntur ipsa merita, & perseuerantia finalis.

Vnde sæpe illud constituit discrimen inter prædestinatos, & non prædestinatos, quòd priores quia electi sunt, perseuerantiam accipiunt; posterioribus verò perseuerantia denegatur, eò quòd non sunt ex beato illo electorum numero; qua in re seriò monet, non esse curiosè discutienda iudicia Dei, sed cum humilitate suspicienda, iuxta illud Pauli, O altitudo, &c.

Sæpe etiam Augustinus electionem adultorum comparat cum electione paruulorum, quoad hoc, quòd sicut

Deus quosdam paruulos eligit misericorditer ad gloriam, tumque curat vt iis administretur Baptismus, sine quo saluari nequeunt, adeò vt perseuerantia finalis sit effectus, non causa electionis ipsorum. Contrà verò alios ex iusto iudicio relinquit in massa perditionis, permittens vt morte præueniantur, antequam à peccato originali mundari possint: ita Deus ex mera sua misericordia quosdam adultos eligit ad gloriam, & deinde ex vi huius electionis tribuit illis media ad talem finem necessaria; alios vero ex iusto, quamuis occulto iudicio, non eligit ad gloriam, & consequenter non dat operam vt illis conferantur ea media, per quæ efficaciter beatitudinem obtinerent. Verba Augustini quibus prædicta latè confirmantur habes in suaui Concordia, disp. 1. sect. 5. quem locum, si placet, consule.

Tertia quia S. Thomas electionem gratuitam perspicuè defendit variis locis disputatam citata relatis, ex quibus hic tantum obseruandum est illud ex q. 7. de verit. art. 6. ad 3. Vitam gloriæ non prouidet, nisi ex beneplacito suæ voluntatis, & illud ex 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. sed quare hos elegit in gloriam; & hos reprobauit, non habet rationem

nisi diuinam voluntatem. Atque hanc veram esse sentẽtiam S Doctoris agnoscunt communiter Thomistæ omnes, tam antiqui quàm recentiores, qui proinde electionem gratuitam merita antecedentem & causantem nobiscum defendunt; imò Scotus & omnes illius discipuli hanc nostram sententiam ampectũtur, fatenturque se in hac re consentire cum S. Thoma, sicut & alij plerique quos prætereo. Vnde patet, si res ex numero & authoritate Scholasticorum sit definienda, dubitari non posse quin sententia quam propugnamus oppositæ præferenda sit.

Quarta, quia vt communiter nostræ sententiæ authores ex S. Thoma & Scoto argumentantur, qui ordinatè vult, priùs vult finem quàm media ad finem: At Deus ordinatè vult, ergo priùs vult finem quàm media ad finem; gloria autem est finis, & merita sunt media ad illam, ergo priùs vult gloriam quàm merita; & consequenter electio ad gloriam non potest esse ex præuisione meritorũ.

Dices voluntatem quandam inefficacem dandi gloriam, præcedere voluntatem dandi media, quæ sunt merita, non autem efficacem, de qua loquimur. Sed contrà, nam intentio finis debet esse

proportionata electioni mediorum, at Deus dat media efficacia ad finem, ergo hoc oritur ex efficaci intentione finis.

Quinta, quia illa sententia est præferenda, quæ ex vna parte electis est multò fauorabilior, & ex alia non habet maiorem rigorem erga reprobos. At hoc competit nostræ sententiæ, vt per se patet quoad prædestinatos; quantum verò ad reprobos ostenditur, quia si res attentè inspiciatur, in morali æstimatione perinde est, quòd Deus non eligat Iudam ad auxilia efficacia & finalem perseuerantiam, aut quòd eum non eligat ad gloriã: cùm reprobatio à finali perseuerantia sit virtualis reprobatio à gloria, hæcque non maiorem salutis spem relinquat, quàm formalis voluntas denegandi gloriam.

Vnde quando opponunt aduersarij, quomodo Deus habeat verum & sincerum affectum saluandi Iudam, si illum non eligit efficaciter ad gloriam cum Petro, nos vicissim ab ipsis quærimus, qua ratione Deus, in eorum sententia, sincerè velit saluare Iudam, cùm eum non eligat ad auxilia efficacia, & ad finalem perseuerantiam, ad quam tamen ex mera sua misericordia eligit Petrũ.

Sanè vtrobique est eadem difficultas; neque puto quod is qui se reprobatum existimat, fœliciorem aut mitiorem sortem experiatur, etsi à nostra, ad oppositam sententiam transeat.

Nota 1. non opus esse ponere in Deo duplicem voluntatem efficacem respectu gloriæ, aliam antecedentem merita, aliam consequentem, sed vnicam sufficere, qua Deus ex mera sua liberalitate, & à præuisis meritis minimè prouocatus, efficaciter aliquem eligit ad gloriam per merita obtinendam.

Dices, ergo eadem voluntas erit gratuita simul & remuneratiua, quod repugnat. Distinguo, erit gratuita & remuneratiua quoad se, nego; erit gratuita quoad se, & remuneratiua quoad obiectum, concedo. In hoc autem nulla est repugnantia, sicut neque quòd Petrus malit vendere suum equum Stephano, quàm Antonio: illa enim voluntas Petri est merè gratuita, etsi per illam nõ velit dare equum gratis, sed pro iusto precio.

Instabis, eo ipso quòd Deus statuit conferre gloriam per merita, necesse est vt merita illius intellectui iam obiiciãtur vt præsentia. Verum hoc negatur de præsentia absoluta, sufficit enim quod per scientiam conditionatam

priorem electione sciat Deus se posse ei quem elegerit tribuere merita, quotquot, & quando voluerit.

Nota 2. Prædestinatum in sensu composito cum scientia conditionata decreto prædestinationis præsupposita, non posse damnari, quia eligitur, vt saluandus per auxilia gratiæ, quæ iuxta præscientiam Dei effectum in eo sunt infallibiliter habitura; absolutè tamen posse damnari, quia cùm non saluetur nisi per auxilia repudiabilia, & minime prædeterminantia, potest si velit ijs cõsensum negare & in peccatum finale labi. Contrà verò eum qui non est efficaciter electus ad gloriam, absolutè posse saluari, quia etsi non possit efficere, vt eligatur ante præuisa merita, potest tamen cooperari gratiis acceptis, quod si faceret, haud dubiè eligeretur ad gloriam ex præuisis meritis.

CONCLVSIO II. Gloria æterna, item vocatio & iustificario, peccatorum permissio, & bona prædestinati indoles sunt effectus prædestinationis.) Prima pars probatur, quia qui causat media efficacia ad finem, causat mediate ipsum finem; atqui prædestinatio causat media efficacia ad gloriam, ergo & ipsam gloriam.

Secunda pars ostenditur, tum ex illis verbis Rom.8. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; tum quia illud est effectus prædestinationis, per quod Deus exequitur decretum prædestinationis, at Deus per vocationem, & iustificationem exequitur decretũ prædestinationis, ergo.

Tertia pars probatur, quia cùm ex vna parte permissio peccati sit bona, & à Deo volita, ex alia vero omnia prædestinatis cooperentur in bonum, etiam ipsa peccata, quatenus resurgunt humiliores, cautiores, & feruentiores, nihil videtur obesse quin Deus permittat prædestinatos cadere, ex intentione efficaci, vt ad maiorem gratiam & gloriam assurgant: atque ita docet S. Thom 1.2.q.79.art.4.

Nota Deum velle permissionem peccati ratione pœnitentiæ, neque propterea opus esse vt Deus velit peccatum ad pœnitentiam requisitum, sed sufficere quòd per scientiam conditionatam sciat prædestinatum infallibiliter peccaturũ, ex hypothesi quod vellit illi exhibere concursum necessarium ad peccandum.

Quarta pars suadetur, quia quidquid ad salutem prædestinati de facto conducit, est effectus prædestinationis ipsius: at ingeniũ, bona indoles, aliaque eiusmodi

naturalia ad hoc conducunt, vt patet ex August. qui lib. de dono perseuerantiæ cap. 14. & aliàs non rarò docet Deum cùm vult aliquem conuertere, eum mouere & vocare eo modo quo scit ei cõgruere, spectata scilicet illius naturali dispositione, vt vocantem non respuat.

CONCLVSIO III. Prædestinatio certissimè, & infallibiliter consequitur suum effectum, non tamen imponit necessitatem agendi.) Ita S. Thom. 1. p. q. 23. art. 6. quod probat, quia prædestinatio est pars prouidentiæ. At non omnia quæ prouidentiæ subduntur sunt necessaria, sed quædam contingenter euenint, secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus diuina prouidentia ordinauit. Et tamen prouidentiæ ordo est infallibilis, ex dictis q. 22. art. 4. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & libertas arbitrij nõ tollitur, per eiusmodi certitudinẽ.

Ex quo patet, electionem efficacem ad gloriam merita antecedentem, non obtinere suum effectum per motiones physicè prædeterminantes, cùm hæ inducant necessitatem agendi contrariam libertati vt suprà ostensum est: quare vt eiusmodi electionis immobilis certitudo defẽdatur, eaque cũ libertate rectè cõcilietur,

lictur, necessario recurrendũ est ad sciẽtiam mediam decreto prædestinationis præsuppositam, qua videt Deus quid faceret Petrus si illum in circunstantiis minimè prædeterminantibus constitueret; ac proinde huius scientiæ vsus maximè in hac controuersia admittendus est.

Illi tamen qui putant, electionem efficacem ad gloriam factam esse duntaxat post præuisa merita, sufficienter explicant certitudinem prædestinationis per scientiam visionis, qua Deus merita, vt absolutè futura intuetur; neque quoad hoc præcisè opus est, vt recurrant ad scientiam conditionatam; licet Deus in priori decreto quo auxilia gratiæ hominibus distribuit, illius luce & directione indigeat.

Nota 1. eos qui docẽt, efficacẽ electionem factam esse antecedenter ad præuisa merita, communiter affirmare gradus omnes gloriæ, ad quos singuli beati peruenturi sunt, speciali decreto & prædefinitione Dei fuisse determinatos: siquidem modus melioris & perfectioris prouidentiæ exigit, vt sicut Deus certos Angelos & homines nominatim destinat ad gloriam æternam, vt ex iis regnum cœleste constituat; ita singulis

præſcribat certam gloriæ menſuram, ex cuius diuerſitate & inæqualitate tanquã ex variis manſionibus ciuitas illa beatorum mirificè coaleſcit: iuxta illud Chriſti, Ioan. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt

Nota 2. quòd etſi Deus homini prædeſtinato, quandiu viuit, tribuat auxilia ſufficientia quibus noua, & noua merita cumulare poſſit, ſi velit, priùs tamen quàm ea tribuat, nouit per ſcientiam mediam prædeſtinatum per talia auxilia ſi illi dentur, non acquiſituru de facto niſi talem gradum meriti & gloriæ. Vnde eâ ſcientiâ præſuppoſitâ, rectè poteſt Deus certò præfinire menſurã gloriæ tribuendæ prædeſtinato, neque vnquam eueniet, quòd prædeſtinatus illum gradum, aut non attingat, aut prætergrediatur: res enim ita erunt per diuinam prouidentiam diſpoſitæ, vt quando electus præfixam meritorum & gloriæ mẽſuram impleuerit, ſimul ad vitæ terminum perueniat.

CONCLVSIO IV. Aliquo ſenſu ponendus eſt in Deo liber vitæ.) De hoc agit S. Thomas 1 p. q. 24. per 3. articulos, quorum primo docet in primis librum vitæ in Deo dici metaphoricè, nempe ſecundum ſimilitudinem à

rebus humanis acceptam. Consuetum enim est apud homines eos qui ad aliquid eliguntur conscribi in libro, vtpote milites & consiliarios, qui olim dicebantur Patres Conscripti; quare cùm prædestinati eligantur à Deo ad habendam vitam æternam, hinc ipsa prædestinatorum descriptio liber vitæ appellari solet. Secundò librum vitæ ratione distingui à prædestinatione, quatenus prædestinatio est ratio ordinis mediorum, quibus prædestinatus ducitur ad vitam æternam: at liber vitæ est ipsa notitia, qua Deus firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam. Tertiò, non esse consuetum conscribi, eos qui repudiantur, sed eos qui eliguntur, ac proinde reprobationi non respondere librum mortis, sicut prædestinationi respondet liber vitæ.

Art. 2. docet 1. librum vitæ respicere tantùm vitam gloriæ prædestinatorum, aliquis enim eligitur ad id, quod ei non competit secundum suam naturam, quodque habet rationem finis; quæ duæ conditiones competunt vitæ gloriæ, non autem vitæ naturali, ad quã proinde nemo scribi dicitur. 2. non dici librum vitæ respectu gratiæ quia nemo conscribitur ad id quod habet rationẽ

medij sed ad id quod habet rationem finis, sicut miles non conscribitur, vt armetur, sed vt pugnet, & vincat si possit; sicut tamen illi qui habent gratiam, & à gloria excidunt, dicuntur electi secundum quid, & non simpliciter, ita & dicuntur scribi in libro vitæ secundum quid, non simpliciter.

Art. 3. docet 1. non posse deleri de libro vitæ, eos qui in illo sunt scripti simpliciter, id est, qui à prædestinatione sunt ordinati ad gloriam æternam hæc enim ordinatio non potest deficere. 2. eos posse deleri de libro vitæ, qui in eo sunt tantùm scripti secundum quid quia illi eo modo dicuntur scripti in libro vitæ, qui ad vitam æternam ordinantur per gratiam: quare cùm ij possint à gratia deficere, consequenter de libro vitæ deleri possunt. 3. hanc deletionem non esse reducendam in Dei notitiam, quasi verò aliquid priùs Deus sciuerit, & posteà id nesciat, sed in rem ipsam, quatenus Deus scit eum qui habet gratiam, ordinari tunc in vitam æternam, & posteà non ordinari, cùm ab ea deficit.

CONCLVSIO V. Probabilius est reprobationem hominum negatiuam non fuisse constitutam, nisi ob peccatum originale præuisum.) Probatur primò, quia Augustinus libro de dono perseue-

rantiæ cap. 8. & aliàs frequentissimè docet, prædestinationem hominum factam esse ex massa generis humani per peccatum originale infecta, ita vt aliqui per misericordiam Dei ex ea massa liberati fuerint, alij verò ex iusto Dei iudicio ab ea non fuerint liberati.

Secundò, prædestinatio hominũ supponit peccatũ originale, vt patet quia supponit merita Christi, & hæc peccatũ originale; ergo etiam reprobatio negatiua peccatum originale supponere debet; cum eodem signo rationis concepta sit, quo electio ad gloriam, & consequenter dicendum est eiusmodi peccatum fuisse simpliciter causam, propter quam Deus homines negatiuè reprobare voluerit: etsi non fuerit causa, quare potiùs hunc quàm illum eo modò reprobauerit: cum omnes peccato originali æqualiter infecti fuerint.

Nota, ex quorundam sententia, prædestinationem & reprobationem hominum constitutam esse, præuiso peccato primi parentis, antequam esset transfusum in posteros illius, sicque potuisse Beatam Virginem à peccato originali in seipsa præseruari. Alij verò putant Beatam Virginem potuisse præseruari ab originali, etsi prædestinatio non sit

constituta nisi post transfusionem illius: quia præuiso Adæ peccato, Deus voluit permittere, vt omnes illius posteri co inficerentur, excepta purissima Virgine quam ab eiusmodi labe præseruauit.

CONCLVSIO VI. Deus neminem positiuè reprobat, ante præuisum illius peccatum.) Est communis tum contra Lutheranos & Caluinistas, tum contra quosdam recẽtiores Theologos, qui quoad rem ipsam idem sentire videntur. Probatur autem primò, nam si reprobatio negatiua non est facta independenter à peccato, multò minùs positiua quæ longè durior est: cùm per illam reprobus actu positiuo excludatur à regno cœlorum, & pœnis æternis addicatur.

Secundò, de fide est Deum non esse per se, & directè causam quod aliquis damnetur: at oppositum dicendum esset, si Deus ex se ipso, nulla suppositâ culpâ ex parte hominum, vellet positiuè excludere eos à regno cœlorum, & in infernum detrudere.

Nota 1. prædictam conclusionem debere intelligi de peccato finali: sic enim pleniùs verificatur, Deum velle vt omnes homines saluentur, peccatores etiam perditissimos posse cõuerti quandiu vi-

uunt,& similia quæ satis non cohærere videntur,si Deus, saltem vt plurimum, velit aliquem damnare antequam videat eum mori in peccato.

Nota 2. Deum posse permittere peccatum reproborum, tum vt magis resplendeat diuinæ prouidentiæ suauitas, permittentis, vt creaturæ liberæ motus suos agant; tum vt ex reproborum peccatis prædestinati cautiores euadãt; tum propter alios fines quos prætereo. Neque opus est vt ex intentione puniendi reprobos, permittat eos peccare, etsi supposito eorum peccato, iustê statuat illis pœnam inferre, ex intentione ostendendi in eorum supplicio, iustitiam suam vindicatiuam.

CONCLVSIO VII. Peccatum reprobi non est effectus reprobationis, permissio tamen peccati finalis est effectus reprobationis negatiuæ, & interdũ positiuæ.) Prima pars probatur, quia cùm reprobatio sit actus diuinæ prouidentiæ, sicut & prædestinatio, nihil esse potest effectus reprobationis, nisi quod à Deo causari potest, & esse illius effectus; at repugnat quòd Deus sit causa alicuius peccati, vt Catholici omnes fatentur: ergo fieri non potest quòd peccata reproborum sint reprobationis effe-

ctus. Confirmatur, quia si Deus causaret peccata reproborum, iam verè dici posset, non electos ad gloriam esse prædestinatos ad malum, quod omnino à fide alienum est, vt patet ex Concil. Arausic. 2. cap. 25. & ex Trident. sess. 6 can. 17.

Vbi nota 1. hoc ita à nobis intelligi, vt peccatum non sit reprobationis effectus, siue quoad materiale, siue quoad formale.

Secundò, vt neque peccatum sub ratione pœnæ, sit reprobationis effectus: cum enim intrinsecam deformitatem habeat, non potest Deus illud peccatum causare, ex intentione aliquem puniendi. Neque refert quòd aliqui dicantur tradi in reprobum sensum, excæcari, indurari, &c. Ista enim non significant, Deũ causare in nonnullis sequentia peccata vt puniat præcedentia; sed tantùm permittere, vt in noua peccata labãtur, subtrahendo seu denegando vberiora auxilia, per quæ ab iis peccatis abstinerent.

Secunda pars ostenditur, nam Deus eo ipso censetur permittere peccatum finale in reprobo, quo illi denegat gratiã efficacem, qua tale peccatum vitaret. At reprobatio negatiua ex August. lib. de correp. & gratia cap. 7. & sæpe aliàs est causa quòd Deus reprobo deneget talẽ

gratiam: sicut electio opposita est causa quòd dentur prædestinato auxilia efficacia, per quæ finaliter perseuerat; ergo est etiam causa permittendi in reprobo peccatum finale.

Tertia pars suadetur, quia etsi Deus ordinariè non statuat aliquem excludere à regno cœlorum, & in infernum detrudere, nisi propter, peccatum in quo videt eum mori; interdum tamen contingit Deum, propter immane aliquod scelus, velle hominem pœnis æternis afficere, & ex tali intentione illius mortẽ accelerare modo extraordinario, vt vulgò conceditur euenisse in reprobatione Datham & Abiron; aliisque similibus, quorum Scriptura meminit.

CONCLVSIO VIII. Creatio reprobi non est effectus suæ reprobationis positiuæ.) Est communis & certa contra hæreticos & nonnullos recentiores Theologos qui, quoad hoc, valde ipsis fauent. Probatur autem primò ex dictis, ostendimus enim Deum neminẽ reprobasse positiuè ante præuisum illius peccatum: vnde sequitur à fortiori, reprobationem supponere creationem hominis reprobandi; cùm priùs sit aliquẽ existere, adeóque creatum esse, quàm peccare.

Secundò, si Deus ex se efficaciter intendit damnare Iudam, & ex illa intentione illum creat, nullo modo dici potest, Deum creasse omnes homines ex vero, & sincero affectu eos saluandi, qua tamen intentione eos creasse, ex fide certum est; neque dici potest Deum nolle mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat; falsumque est quòd Patres tam sæpe inculcant, Deum ex seipso sumere motiuum miserendi, & ex nobis nostrisque peccatis motiuum puniendi.

Nota non opus esse, quòd Deus ex primaria intentione ostendendi suam misericordiam in prædestinatos, alios creare voluerit eo fine vt positiuè eos damnaret; sed sufficere quod eos non elegerit efficaciter ad gloriam, & ad specialissima dona gratiæ in prædestinatos profusa. Hinc enim satis declaratur misericordia Dei erga prædestinatos, quibus non magis debebatur electio quàm aliis, quique proinde æquè ac illi poterant relinqui, ac non eligi.

CONCLVSIO IX. Bona reprobo concessa non sunt reprobationis effectus.) Probatur nam sicut voluntas creandi aliquem eo fine, vt damnetur, excludenda est à Deo ex supradictis, ita

& voluntas ei tribuendi bona aliqua siue naturalia, siue supernaturalia, ex eodem fine. Confirmatur, nam quemadmodum Deus omnes homines, etiam reprobos, creauit ex vera intentione eos saluandi; ita eadem intentione eis contulit varia dona, tam naturalia quàm supernaturalia, per quæ salutem consequi possent: non ergo ex intentione eo damnandi eiusmodi bona ipsis concessit cùm hæ duæ intentiones inter se repugnent, vt per se patet.

Neque dicas, bona omnia reprobo concessa de facto conducere ad damnationem illius, adeóque esse effectus reprobationis ipsius; quemadmodũ omnia bona prædestinatis concessa, quæ cum effectu conducunt ad eorum salutem sunt effectus prædestinationis ipsorum. Negatur enim consequentia, & ratio discriminis est, quia Deus tribuit bona prædustinatis ea intentione, vt iis bene vtantur, eorumque auxilio salutem consequantur; vnde non repugnat quòd sint effectus prædestinationis: Deus autem non tribuit bona reprobis vt iis malè vtantur, & per illa damnentur, sed potiùs vt iis bene vtentes, saluentur: quare dici non potest, quod sint reprobationis ipsorum effectus.

CONCLVSIO X. Inflictio pœnæ æternæ est proprius, imò vnicus effectus reprobationis positiuæ.) Prima pars ostenditur, nam reprobatio positiua est decretum efficax, quo Deus homines prauos positiuè vult excludere à regno cœlorum, pœnisque æternis mulctare: huius autem decreti proprius effectus est, ipsa actualis exclusio à cœlo, & inflictio pœnæ æternæ, quæ incipit post mortem reprobi.

Secunda pars probatur, nam vt patet ex supradictis, decretum positiuum damnandi aliquem, non constituitur nisi post præuisum illius peccatum finale; tunc autem nullus effectus ex imperio & efficacitate talis decreti causandus superest, præter actualem inflictionem pœnæ æternæ: ergo hæc inflictio est vnicus, & solus effectus reprobationis positiuæ.

Confirmatur, nam si alius quidam est effectus reprobationis positiuæ, is est, vel productio reprobi, vel dona illi collata, vel peccatum illius, vel denique decretum permittendi, seu non impediendi illud peccatum; at nihil ex istis est effectus reprobationis positiuæ, vt ex dictis perspicuum est, ergo reprobatio positiua nullum ha-

bet effectum, præter inflictionem pœnæ æternæ.

Hæc autem intellige de lege ordinaria, nam in casu illo extraordinario, de quo conclusione 7. actum est, non modo æternæ, sed etiam temporalis mortis inflictio est effectus à positiua reprobatione causatus.

DISPVTATIO SECVNDA DE DEO VT TRINO.

CAPVT I.

De Processionibus Diuinis.

SECTIO I.

An Processiones Diuinæ & Trinitas personarum naturaliter cognosci possit.

CONCLVSIO I.

NOn potest ab intellectu creato euidenter & naturaliter cognosci Trinitas, probatur 1. quia Patres hoc colligunt ex verbis illis Matthæi 11. Nemo nouit filium

nisi Pater,& ex illis cap. 16.Caro & sanguis non reuelauit tibi. Accedit ratio, quia vt ait S. Thomas 1. p.q.31. art. 1. Deum naturaliter cognoscimus per effectus; at nullus effectus quantumuis perfectus, potest nos ducere in claram Trinitatis cognitionem, sed tantum in cognitionem Dei, vt est causa & principium creatiuum; ad hoc autem non opus est eum cognoscere vt Trinum, sed vt Vnum duntaxat.

CONCLVSIO II. Nec etiam probaliter cognosci, quia nullum apparet medium per quod homo,citra reuelationem, possit assurgere in cognitionē aliquam probabilem huius mysterii:cùm potiùs pleraque occurrant, quæ illius possibilitati efficaciter opponi videntur. Vt quòd vnius substantiæ vnicum tantum sit suppositum: quod nullum agens suam naturam alteri communicet, sed aliam numero distinctam producat: quod nihil producatur sine dependentia,& causalitate: quod producens tempore,aut natura sit prius producto, quæ & similia valde aliena sunt ab iis quæ in Trinitate admittimus;quare tale mysterium esse impossibile facilè suaderent, si cui fide minimè prædito, illius cogitatio occurreret,

Nota 1. non esse absurdum, quòd personæ diuinæ dicantur tria indiuidua largo modo, sicut enim natura diuina, quatenus est communis ttibus personis habet similitudinem aliquam cum specie, ita tres personæ sunt veluti quædam illius indiuidua: præsertim quia licet ex vno capite rationem indiuidui, non tam perfectè participent, quàm indiuidua creata; quia scilicet eandem numero naturam habent: aliunde tamen perfectiùs eam obtinent, quatenus personæ diuinæ magis repugnat diuisibilitas, quam creatæ.

Nota 2. etsi in creatis vna natura sit tantum in vna persona, non sequi idem dicendum de Deo; quia cum illius natura sit infinita, non repugnat eam in pluribus personis reperiri: sicut in creatis eadem natura specifica, quia accipit quandam illimitationem per intellectum, potest esse in pluribus indiduis.

SECTIO II.

Qua & quot sint Processiones in Deo.

CONCLVSIO I.

POnenda est in Deo vera aliqua processio.) Est de fide, tũ contra Sabellianos, seu Patri in Deo passianos, qui vnã tantùm personã Deo admittebant, sed diuersa nomina; tum contra alios hæreticos, qui olim docuerunt in Trinitate esse tres personas essentialiter distinctas, ac proinde tres Deos: Neutri enim veram aliquam processionem internam in Deo agnouerunt; non quidem priores, quia vna persona non potest procedere à se ipsa; non etiam posteriores, quia si persona procedens accipit diuersam essentiã, iã processio nõ fit ad intra, sed ad extra, sicut processio creaturarũ.

Probatur autem primò ex Scriptura quæ Ioan. 8. meminit processionis Christi à Deo Patre, & cap. 15. Processionis Spiritus sancti ab eodem: Verba autem Scripturæ propriè sunt accipienda, quando nihil cogit, vt ea ad metaphoras

transferantur; atque ita Scripturam intellexerunt semper sancti Patres, & vniuersalis Ecclesia quæ recipit illud Athanasij in Symbolo, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Secundò idem probabiliter ostenditur similitudine sumpta ab intellectu & voluntate creata, ex quorum priori procedit verbũ, ex posteriori amor. Cum enim Deus sit intellectu, & voluntate præditus easdẽ processiones habere debet; cúmque sit infinitus, terminus earũ debet esse infinitus, ac proinde Deus, imò cùm nequeat esse nisi vnus Deus, sequitur personam quæ producit, & eam quæ producitur debere esse vnum & eundem Deum.

Dices, rationem illam non concludere, quia intellectus noster producit verbum vt per illud intelligat: at Deus intelligit per notitiam essentialem, & ingenitam; quare in eo frustra ponitur processio Verbi. Respondeo id non sequi: nam esto intellectus diuinus, vtpote summè actualis, non indigeat notitia genita, vt intelligat, cùm tamen sit summè perfectus, hinc colligi potest, eum esse infinitè fœcundum; atque adeó per

illum produci notitiam infinitam, non quidem vt perfectionem aliquam acquirat, sed potiùs vt perfectionem suam communicet. Sic enim, detractis creaturarum imperfectionibus, id solum Deo tribuimus, quod ad perfectionem simpliciter pertinet: nimirum habere vim productiuam, non ex indigentia, sed ex abundantia, & perfectionis plenitudine. Verùm vt nonnullas hæreticorum obiectiones soluas, quæ contra prædictam conclusionem militare videntur.

Nota 1. Filium Dei interdum à Patribus vocari autotheon, quia non est precariò Deus, seu ex gratia & liberalitate Patris, sed etiam necessitate diuinitatem à Patre accipit, tanquam sibi naturaliter debitam, qua pater eam à seipso habet. Filius etiam dicitur Iehoua, seu fons essendi, non quod non procedat ab alio, sed quia habet eandem naturam, & potentiam Patris à qua, vt à fonte essendi, omnia procedunt, cùm ipsa à nullo sit. Quare potest dici fons de fonte, sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine.

Nota 2. non esse perfectius esse à se, quàm esse ab alio quoad naturã indistincto, qua ratione vna persona diuina est

ab alia; hoc enim non arguit dependentiam, aut causalitatem, cùm persona procedens accipiat eandem natutam independentem, & incausatam personæ producentis, idque omnimoda necessitate. Vnde ex omnium Patrum sententia, in Deo non minoris perfectionis est, esse Filium, quàm esse Patrem.

CONCLVSIO II. Processiones diuinæ non sunt immediatè per essentiam diuinam, vt essentia est, sed per intellectum & voluntatem.) Est communis contra Durandum, probaturque promò ex Scriptura, quæ secundam Trinitatis personam vocat Verbum, & tertiam Amorem, seu charitatem; at Verbũ procedit per intellectũ & amor per voluntatem.

Probatur secundò, nam de fide est, processionem Filij esse origine priorem processione Spiritus sancti; illam esse generationem, non istam; Spiritum sanctũ non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedere, ac denique non esse in Deo nisi duas processiones; ista autem non haberent locum, si processio fieret per essentiam à voluntate, & intellectu præcisam. Contrà verò prædicta facilè intelliguntur, posito quód vna persona producatur

per intellectum, alia per voluntatem, vt consideranti perspicuum fiet.

Et quidem processionem Filij esse priorem processione Spiritus sancti, ex eo intelligitur; quia cognitio præcedit volitionem, nihilque est volitum, quin præcognitum. Deinde concipimus Filium generari, non Spiritum sanctum; quia quòd procedit per intellectum, procedit vt simile, ex vi suæ processionis, non quod procedit per voluntatem, vt postea dicemus. Præterea cum filius sit priùs origine productus quàm Spiritus sanctus, inde habemus, quòd possit concurrere ad productionem illius, quia in eo priori accipit à Patre potentiam spiratiuam, simul cum diuinitate. Denique nõ esse in Deo nisi duas processiones, ex eo deducimus, quia non sunt in illo nisi duo principia productiua ad intra, nempe intellectus, & voluntas.

Dices, si Filius procederet per intellectum, ipsa intellectio esset illius productio: at hoc dici non potest; quia cùm in tota Trinitate sit eadem intellectio, omnibus personis cõpeteret Verbi productio, adeóque omnes verbũ producerent, quia nequit concipi, quòd productio actiua alicui competat, & is non producat.

Nonnulli respondent, intellectionem non esse ipsam productionem Verbi, sed potiùs principium quo productionis ipsius. Licet autem repugnet, alicui conuenire productionem actualem, & ab illo non produci terminum productum; fieri tamen posse, vt aliquid habeat principium productiuum, & nihil producat.

Verùm hæc responsio non caret difficultate, quia cùm Verbum procedat per intellectum, oportet vt actio quædam intellectus sit illius productio: at nulla est actio intellectus, quæ non sit intellectio, ergo intellectio aliqua est ipsamet Verbi productio Itaque pro responsione. Nota, intellectionem diuinam spectari posse dupliciter. 1. vt est nuda obiecti cognitio. 2. vt habet adiunctam relationem producentis ad productum: & priori modo non esse productionem, sed tantùm posteriori: qua ratione non est nisi in solo Patre: vnde solus Pater producit Verbum, etsi tres personæ eandem intellectionem habeant: & idem dic de volitione, proportione seruata.

CONCLVSIO III. In Deo ponendæ sunt duæ processiones, non plures.) Prior pars est de fide, vt patet ex dictis. Nam Scriptura apertè loquitur de pro-

cessione Filij, & Spiritus sancti, de qua etiam agunt Patres & Concilia; quare sicut Filius & Spiritus sanctus duo procedentes, ita & duæ processiones necessariò admitti debent: imò quia Filius & Spiritus sanctus sunt duæ personæ vnius realiter distinctæ, hinc rectè colligitur, passiuam processionem realiter distingui, à passiua processione alterius.

Neque refert, quòd intellectus, & voluntas in Deo non distinguantur realiter, sufficit enim distinctio virtualis, vt ab iis, termini realiter distincti procedere possint. Ad eum modum quo anima rationalis, eminenter tantùm continens sensitiuam, & vegetatiuam, producit vtriusque effectus.

Posterior pars est etiam de fide, probaturque 1. quia in Deo sunt tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quarum prima à nulla procedere potest, secunda procedit à prima, tertia à prima & secunda: sicut ergo sunt tantùm duæ personæ procedentes, ita & duæ processiones duntaxat, si enim plures essent, consequenter essent plures personæ quàm tres, quod fidei repugnat.

Probatur 2. nam in Deo sunt tantùm duo principia ad intra, nempe intellectus & voluntas, ea enim tantum repe-

riuntur in ſubſtãtia ſpirituali, cum actio ſenſuum, etſi immanens, non ſit niſi in ſubiecto materiali: At quodlibet ex dictis principiis vnum duntaxat terminũ habere poteſt, ergo duæ tantum proceſſiones ab illis eſſe poſſunt. Probatur minor, nam ſicut intellectus diuinus propter ſuam infinitã perfectionẽ, vnico actu ſimpliciſſimo cognoſcit ſuum obiectum quantum cognoſcibile eſt, ita producit notitiam tam perfectam, quãta eſſe poteſt talis obiecti cognitio; & ſimiliter, quia diuina volũtas eſt infinitè perfecta, ſicut amat ſuum obiectũ quantum amabile eſt, ita producit amorem adæquantem amabilitatem obiecti. Vnde neque aliud verbum reſtat producendum per intellectum, neque alius amor ſpirandus per voluntatem: & ita duæ tantum ſunt proceſſiones, alia per intellectum, alia per voluntatem.

Nota, non poſſe ſumi tertiam proceſſionem internam ab omnipotentia, quia hæc vt condiſtinguitur à potentia notionali, eſt principium productiuum ad extra; nec verbum poſſe multiplicari, quia quod à Patre producitur, cum ſit infinitè perfectum, exhaurit totam potentiam productiuam intra lineam intellectus. Vnde etſi Filius intelligat,

non

non tamen producit verbum; quia intelligit per eandem intellectionem Patris, quæ suum terminum adæquatum iam habet in Filio.

Nec refert quòd producat amorem; recipit enim à Patre fœcundam voluntatem, quæ in eo priori terminum suum non habet; cum Filius non producatur per voluntatem, sed per intellectum: quare non mirum, quod simul cum Patre producat Spiritum sanctum.

CONCLVSIO IV. Processio verbi diuini est vera generatio.) Est certa ex fide, vt satis colligitur, tum ex supradictis, tum ex verbis illis Ioannis 1. Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit. Difficile tamen est veram huius rei rationem assignare: quidam dicunt Verbum generari, & procedere vt Filium, quia eandem naturam quam accipit à Patre, potest alteri communicare. Sed hoc gratis asseritur, sic enim nulla esset vera generatio in creatis, cum nulla res creata possit alteri communicare eandem naturam quam ab alio accepit.

Dices, ad generationem sufficere & requiri, quòd res genita possit communicare eandem numero, aut specie naturam. Sed contra hoc est; tum quia sic mulus, cum nequeat generare sibi simi-

le, non esset propriè ab asino genitus; tum quia si vt quis dicatur ab alio genitus, requiritur vt possit communicare eandem numero, aut specie naturam, cur non etiam necesse erit, vt possit eam cõmunicare per veram generationem? Atque ita sequetur Verbum diuinum propriè non generari, nec esse Filium.

Alij id probant, quia actualis intellectio est de formalissimo conceptu essentiæ Dei: vnde communicatio intellectionis formalis, est communicatio essentiæ diuinæ, adeóque vera generatio: cum ergo Verbum diuinum procedat, vt terminus intellectionis actualis, consequenter illius processio est vera generatio. Verùm hic dicendi modus supponit fundamentum aliàs reiectum, de formali constitutiuo diuinæ essentiæ, breuiterque refellitur; quia quoad rem ipsam, actualis intellectio non magis spectat ad formale constitutiuum diuinæ naturæ; quam actualis volitio, aliáque attributa essentialia: quare si ob rationem allatam Verbi productio esset generatio, idem dicendum esset de processione Spiritus sancti.

Vera igitur ratio est, quia ad generationem propriè dictam, vt est in viuentibus, tria requiruntur. 1. vt producens

vel toram ſuam ſubſtantiam, vel partem illius alteri communicet. 2. vt quod producitur, ſit ſimile producenti in natura numerica, aut ſaltem ſpecifica. 3. vt procedens ſit ſimile ptoducenti formaliter ex vi ſuæ proceſſionis, iſtæ autē conditiones reperiuntur in generatione Verbi: prima quidem, quia Pater totam ſubſtantiam diuinam illi communicat. Secunda verò, quia Verbum eſt ſimile producenti in natura, non modo ſpecifica, ſed etiam numerica. Tertiá denique, quia cum intellectio ſit formalis ſimilitudo rei intellectæ, eo ipsò quòd Pater ſeipſum intelligendo producit Verbum, proceſſio Verbi ex ſua ratione formali habet, quòd ſit ſimilitudo principij generantis; cúmque ea intellectio ſit ſummè & infinitè perfecta, per eam formaliter producitur terminus ſuo principio ſumme & infinitè, adeóque ſubſtātialiter ſimilis: cuius proinde productio, ex ſua ratione formali, eſt vera generatio.

Dices 1. quod procedit per intellectum vt ſic, procedit tantùm vt ſimile, ſecundum eſſe obiectiuum, adeóque non generatur. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, nam etſi quod procedit per intellectum creatum, non procedat vt ſi-

mile in natura, sed tãtùm in ratione cuiusdam vitalis repræsentationis obiecti; quod tamen procedit per intellectum diuinum, non se habet vt imago accidentalis, sed vt substantialis, & per se subsistens. Hoc autem sufficit ad veram generationem, vt patet ex dictis, & à fortiori inde etiam colligitur, quia si ex hypothesi impossibili, Angelus aliquis se intelligendo, alium Angelum distinctum numero produceret, illa productio esset vera generatio: quia esset origo viuentis, à viuente coniuncto in similitudinem naturæ specificæ.

Dices 2. quod generatur, debet procedere vt simile principio generanti: at quod procedit per intellectum, nõ procedit simile principio producenti, sed obiecto; ergo non generatur. Respondeo negando minorem, nam vt intellectus concurrat ad intellectionem obiecti, debet esse informatus specie illius; adóque si terminus productus est similis obiecto, est etiã similis intellectui producenti.

CONCLVSIO V. Processio Spiritus sancti non est vera generatio.) Est de fide, vt satis patet ex dictis; eam autem probant aliqui, quia vt processio Spiritus sancti esset vera generatio, ille

deberet procedere à duobus, tanquam à patre & matre; sed hoc gratis dicitur, quia sicut per accidens est ad veram generationem, quod genitum procedat à duobus, vt patet ex generatione Verbi, ita per accidens est, quod procedat à duobus tanquàm à patre, & matre.

Alij probant, quia natura diuina non communicatur Spiritui sancto formaliter ex vi processionis, sed tãtum volitio, quæ est quædam proprietas consequens naturam iam constitutam; hoc etiam non placet, quia vt patet ex dictis, volitio nõ minùs spectat, quoad rem ipsam, ad constitutionem intrinsecam naturæ diuinæ, quàm quoduis aliud attributum. Quòd autem iuxta cõceptum nostrum, ad eam non pertineat, id nihil refert, cum idem de ipsa intellectione dici possit.

Alij probant, quia Spiritus sanctus etsi procedat in natura, vt similis suo principio, non tamen procedit vt imago; amor enim nec amantis, nec obiecti amati imago est. Sed contrà, nam ad generationem sufficit, ex communi sententia, processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ, neque requiritur talis similitudo, quæ pertingat ad rationem imaginis.

Dicendum ergo veram huius rei cau-

ſam eſſe, quia illud eſt diſcrimen inter intellectum,& voluntatem,quod intellectus ex ſe ſub præciſa ratione intellectus, producit obiecti ſimilitudinem, adeóque infinitè perfectam, ſi ſit infinitè perfectus: at voluntas in ratione voluntatis non haber vim producendi ſimilitudinem obiecti, ſed tantum vitalem quandam propenſionem in illud; quare etſi magis ac magis in infinitum perficiatur, ea ex propria & formaliſſima ratione, nunquam poterit eò pertingere, vt producat terminum perfectè ſimilem obiecto, vel principio producenti: adeóque ſi talem producat terminum, id aliunde habebit, & conſequenter illius termini praductio non erit vera & propriè dicta generatio: eo quod ad veram generationem requiritur, vt terminus productus ſit ſimilis in natura principio producenti, formaliter ex vi ſuæ proceſſionis: Cum ergo Spiritus ſanctus procedat per voluntatem diuinam mirum non eſt quòd formaliter ex vi ſuæ proceſſionis, non procedat vt ſimilis principio producenti, ac proinde illius proceſſio non ſit vera generatio; eſto ex alio capite perfectam ſimilitudinem habeat in natura, cum Patre, & Filio à quibus procedit.

Dicos 1. etſi Spiritus ſanctus non pro-

cedat vt similis, quatenus procedit per voluntatē; procedit tamē vt similis; quatenus illius processio vt est per volūtatē diuinā, ergo hoc sufficit processio illius vera sit generatio; Sequela patet, quia processio Filij nō est generatio, nisi quatenus est ab intellectu diuino, vt sic. Respondeo antecedens ita esse intelligendum, vt Spiritus sanctus procedat similis, non formaliter vi suæ processionis, vt est à voluntate diuina, tanquam à principio; sed materialiter seu identicè, quatenus quod producitur per voluntatem diuinam, producitur veluti in natura diuina, in qua nihil potest produci, quod cum ea summè non identificetur, quodque proinde non sit Deus.

Dices 2. vel Spiritus sanctus habet per accidens, quod procedat vt similis principio producenti, vel id habet formaliter, & per se, ex vi suæ processionis: at prius dici non potest, quia alioqui sequeretur, Spiritum sanctum esse Deum per accidens duntaxat, quod dici non potest. Ergo posterius verum est, adeóque processio Spiritus sancti est vera generatio Respondeo non conuenire per accidens Spiritui sancto, quod procedat vt similis in eadem numero natura, neque etiam per se, vt procedit per voluntatem

tem diuinã, ſed per ſe quatenus eſt proceſſio in natura diuina.

CAPVT II.

De relationibus Diuinis.

CONCLVSIO I.

IN Deo ponendæ ſunt relationes reales.) Eſt de fide, probaturque 1. ex Scriptura, quæ agit de perſonis diuinis ſub nominibus relatiuis Patris, Filij, & Spiritus ſancti. At nulla ratio eſt cur dicamus ea propriè illis non conuenire. Confirmatur, nam vſurpantur in forma baptiſmi: debent autem formæ Sacramentorum ſumi in propria ſignificatione, & ſpeciatim baptiſmus, cum ſit Sacramentum fidei, ſeu veluti prima fidei profeſſio, debet conſtare verbis propriis, quæ nobis perſonas diuinas ſub vera aliqua & propria ratione repræſentent, ne fides noſtra deceptioni obnoxia ſit.

Probatur 2. Nam inter producens, & productum eiuſdem ordinis, eſt vera & realis relatio, vt patet ex Philoſophia; at in diuinis vna perſona producit aliam, ergo inter illas eſt vera relatio principij

producentis, ad terminum productum, & termini producti, ad principium producens. Confirmatur, nam personæ diuinæ inter se non possunt distingui realiter, nisi per aliquid relatiuum, siquidē quoad absoluta planè idem sunt: ergo cum fides doceat, in Deo tres esse personas realiter distinctas, consequenter fatendum est in eo esse relationes reales, per quas constituantur, & distinguantur.

Hoc autem ita intelligendum, vt relationes illæ sint reales, non tantum quatenus identificantur cum essentia diuina, sed etiā quatenus inter se distinguntur, secundum proprias rationes relatiuas; cū enim personæ diuinæ realiter inter se distinguantur, idque per relationes, essentia enim vna est in omnibus, consequens est eiusmodi relationes sub proprio cōceptu relationum, seu vt dicunt ad, esse verè reales.

Nota 1. eam esse relationem rationis, quæ ex operatione seu cognitione intellectus resultat in obiecto cognito nō autem eā quæ cōsequitur opus intellectus, in ipso intellectu, vt realiter producente suum terminum; ista enim est realis.

Nota 2. quòd relatio diuina cùm non sit accidens sed substantia perfectissima, non debet supponere subiectum cui ine-

xiſtat, aut fundamentum à quo pendeat. Vnde etiam non debet ſupponere diſtinctionem extremorum, quæ per illam referuntur, ſed poteſt ipſa talem diſtinctionem primò conſtituere.

Nota 3. ex poſitione relationum in Deo, non bene colligi dependentiã vnius perſonæ ab alia; quia perſona producens & producta habent eandem naturam independentem, & à ſe exiſtentem. Nec refert quòd dici ſolet, relata à ſe mutuo pendere, ſenſus enim eſt, vnum inferre aliud ſeu vno poſito, aliud poni; quod ſine propria dependentia fieri poteſt.

Nota 4. etſi Pater vt principium Filij, realiter ad illum referatur, Deum tamen vt principium creaturarum, realiter ad illas non referri. Et ratio diſcriminis eſt, quia Filius eſt eiuſdem ordinis cum Patre: at creaturæ infinitè à Deo diſtant.

CONCLVSIO II. In Deo ſunt quatuor relationes reales nempe Paternitas, Filiatio, ſpiratio actiua, & paſſiua, non autem plures.) Prior pars probatur ex dictis: nam in Deo ſunt duæ proceſſiones, alia per intellectum, alia per voluntatem, per primam procedit Filius à Patre, per ſecundam Spiritus ſanctus à ſpiratore. Quare in Deo ſunt quatuor reales relationes ante memoratæ.

Nota, etsi in Deo sint quatuor relationes, non propterea in eo poni quatuor res. Et cùm dicitur, multiplicato inferiori multiplicatur superius, respondendum id verum esse, quando inferius multiplicatur ratione alicuius intrinseci, nõ autem si multiplicetur propter aliquid extrinsecum, vt hic contingit; quatenus eadem entitas quæ respiciebat Filium, iam respicit Spiritum sanctum, tanquam terminum distinctum à Filio; vnde paternitas, & spiratio actiua sunt duæ relationes, & vnica res.

Posterior pars suadetur etiam ex dictis, nam relationes diuinæ sequuntur ex processionibus, quæ tantum sunt duæ altera per intellectum, altera per voluntatem; cuilibet autem processioni respondent duæ relationes tantum, priori quidem paternitas & filiatiò, posteriori verò spiratio actiua & passiua; vnde sequitur relationes diuinas esse duntaxat quatuor.

Dices, in Deo adhuc esse alias relationes, nimirum identitatis, æqualitatis, & similitudinis. Verùm istæ relationes non sunt reales, sed rationis duntaxat, cùm non habeant fundamentum realiter distinctum. Vna siquidem persona est idẽ cũ alia, & æqualis, ac similis illi ratione

eiusdē naturæ diuinæ, quæ est in omnibus.

CONCLVSIO III. Relationes diuinæ inter se distinguuntur realiter.) Est de fide, probaturque 1. ex Concilio Toletano vndecimo, in confessione fidei, vbi dicitur, in relatione personarum numerum cerni; & posteà habentur verba illa, hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt, & in hoc numero carēt, quòd in se sunt. Item ex Florentino sessione 18. vbi Ioannes Theologus ait ex sententia omnium Græcorum & Latinorum, solam relationem diuina processione personas multiplicare, ita scilicet vt non alia ratione quàm vi relationis, vna persona distinguatur ab alia.

Ex quibus aliisque similibus sic argumentari possumus 1. Ea quæ faciunt numerum, distinguuntur realiter, atqui relationes diuinæ faciunt numerum, ergò, &c. Confirmatur, nam ideò essentia diuina non facit numerum cum relatione, quia ab ea realiter non distinguitur. 2. ea distinguuntur realiter, quæ constituūt personas realiter distinctas, relationes diuinæ hoc faciunt, ergo, &c. Confirmatur nam personæ non distinguuntur per essentiam, ergo per relationes, quæ proinde inter se distingui debent.

Nota tamen 1. Spirationem actiuam etsi realiter distinguatur à spiratione passiua, non,ita distingui à paternitate, aut filiatione, vt patet ex communi sententia, contra Durandum; tum quia in diuinis omnia sunt vnum,nisi vbi obuiat relatiua oppositio; tum quia in Deo non est quaternitas rerum, vt statutum est in Conc.Lateran. referturque in capite, Damnamus, De summa Trinitate: tum denique, quia quælibet persona diuina est omnino simplex, cuius oppositum sequeretur, si spiratio actiua, quæ est in Patre & Filio distingueretur realiter à paternitate, & filiatione.

Nota 2. quod etsi propositio illa paternitas est spiratio actiua, à Theologis admittatur in sensu identico, quatenus paternitas & spiratio actiua sunt vnica res simplicissima, etsi sunt duæ relationes; ea tamen communiter negatur, quia si vna relatio diceretur de alia, periculum esset ne confunderentur earum termini, qui tamen sunt realiter distincti.

Sed contra hæc dices 1. Eodem modo distinguuntur relationes, ac earum termini: at terminus spirationis actiuæ realiter distinguitur à terminis paternitatis, & filiationis; ergo & spiratio actiua realiter distinguitur à paternitate, & filia-

tione. Respondeo maiorem incertam esse in creatis, cùm multi existiment, relationem prædicamentalem non nisi ratione distingui à fundamento. Et quamuis in iis certa esset, nihil in Deo concludere: quia cùm Deus sit infintè perfectus, sicut per eandem entitatem intelligit, & vult; ita per eandem est Pater, & spirator.

Dices 2. Quando vnum absolutum idem est cum alio absoluto, illud etiam idem est, cum omni absoluto ei identificato. Ergo similiter si paternitas, & filiatio idem sunt cum spiratione actiua, idem etiam erunt inter se; quod tamen dici non potest. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia vnum absolutum identificatum cum tertio, non habet oppositionem cum aliis absolutis, vt patet in attributis diuinis, quæ cum essentia identificantur, & inter se: at verò relata, non obstante identificatione cum tertio relatiuo communi, inter se opponi possunt, vt hîc contingit; & hoc sufficit vt inter se distinguantur.

CONCLVSIO IV. Relationes diuinæ non distinguuntur actu ab essentia, imò ex probaliori sententia, videntur esse de quidditate illius, sicut vice versa essentia diuina est de essentia relatio-

num.) Prima pars probatur, tum quia distinctio actualis repugnat summæ simplicitati Dei, vt patet ex aliàs dictis; tum quia natura diuina est illimitata, adeóque sibi identificat perfectiones omnes. cum quibus oppositionem non habet: cuiusmodi sunt relationes personales, quæ licet inter se opponãtur, non tamen opponuntur essentiæ: illud autem vulgare, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, non habet locum quando agitur de rebus inter se oppositis, vt hîc contingit, si quidem identificatio cum tertio, non destruit naturam identificatorum.

Secunda pars ostenditur, Primò, quia adæquatum constitutiuum Dei est ipsum esse infinitum, & illimitatum in omni genere perfectionis possibilis, vt alibi diximus; hoc autem implicitè inuoluit omnes perfectiones, tam absolutas, quàm respectiuas in Deo possibiliter existentes. Confirmatur, nam quòd diuina essentia sit Trinitas personarum, haud dubiè est maxima perfectio; ergo hoc illi debet competere essentialiter: aliàs non esset essentialiter infinitè perfecta, sed tantum denticè.

Secundò, si diuina essentia non includeret essẽtialiter personalitates, sequere-

tur eam non subsistere per aliquid sibi essentiale, seu non habere ex propria & essentiali ratione, quòd subsistat; sequela patet, quia ex communiori sententia de qua inferùs, non datur in Deo vlla subsistentia absoluta, sed tantum tres relationæ per quas deitas subsistit in tribus personis.

Tertiò, ad hoc præsertim moueor, quia nihil ferè contra hanc partem obiicitur, quòd æquè non possit in aduersarios retorqueri, siue quatenus docent essentiam, & relationem esse vnam entitatem simplicissimam, siue quatenus aiunt essentiam esse de conceptu relationis. Quomodo enim potest Pater communicare essentiam, non paternitatem, si essentia & paternitas non sunt duæ entitates distinctæ, sed vna simplicissima? Quomodo Pater priùs origine quàm generet Filium est completè Deus, si filiatio est realiter & omnino identicé ipsa diuinitas? Quomodo non est verum, diuinitatem generare & generari, si paternitas & filiatio, ab ea nullo modo distinguuntur nisi per rationem? Quomodo potest relatio modificare, & veluti determinare essentiam, si ipsa essentia includitur in formali conceptu relationis? Ista sane & similia ab omnibus explicanda sunt per

distinctionem virtualem, quæ intra ipsam essentiam Dei poni solet. Quare cùm aliunde cõclusio proposita ad maiorem perfectionem diuinitatis conducat, non immerito vt probabilior amplectenda est.

Tertia pars suadetur, nam quidquid est in Deo, est Deus, vt vulgo docent Theologi, ergo quælibet relatio diuina est Deus; At Deus est id quo nihil melius aut perfectius excogitari potest; quare relatio debet includere deitatem, etiam essentialiter; cum hoc sit perfectius, quàm illam includere tantum identicè. Confirmatur, nam relatio diuina, vt sic, dicit essentialiter modum essendi perfectissimum atqui modus essendi perfectissimus relationis est, vt explicitè dicat perfectionẽ respectiuã infinitam, implicitè vero inuoluat omnem perfectionem absolutam.

CONCLVSIO. V. Relationes diuinæ sub proprio & formali conceptu relationum, dicunt perfectionem.) Probatur primò, quia quod dicit entitatem, dicit perfectionem, relatio in Deo dicit entitatem, ergo & perfectionem: Maior patet ex Metaphysica, nam ens & bonum conuertuntur, bonum autem & perfectiũ idẽ sunt probatur minor, nã Pater, verbi

causa, distinguitur à Filio per aliquid, ergo per entitatem, ergo cum distinguatur per paternitatem, vt sic, hæc dicit perfectionem aliquam realem verè Patri competentem.

Probatur secundò, nam illud est perfectum, per quod constituitur persona in ratione personæ, ex S. Thoma 1. p. q. 29. art. 3. at persona diuina constituitur in ratione personæ per relationem, vt infra dicemus, ergo relatio diuina, vt sic, dicit perfectionem. Confirmatur, quia quod Deitas sit subsistens, est magna perfectio, at non est subsistens, nisi per tres subsistentias relatiuas, vt inferiùs dicetur.

Probatur 3. nam illud dicit perfectionem, cuius priuatio affert imperfectionem: at Deus esset imperfectus, si in eo relationes non essent; sic enim non esset in Deo Trinitas personarum, adeóque nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus; sic diuinitas non identificaretut tribus suppositis realiter distinctis quæ summa & infinita est perfectio: sic Deus non esset fœcundus, nihilque posset producere ad intra, siue per intellectum, siue per voluntatem, &c.

Nota 1. quòd sicut paternitas est entitas distincta à filiatione, ita perfectio paternitatis, vt sic, distinguitur à perfe-

ctione filiationis; Cùm tamen essentia diuina, quæ omnes perfectiones etiam relatiuas includit, sit in singulis personis, & quælibet persona sit in aliis per circuminsessionem, de qua infrà. Hinc absolutè dici non potest, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in aliis.

Nota 2. relationes præcisè spectatas dicere tantum perfectionem infinitam in suo genere, paternitatem in ratione paternitatis, & sic de aliis: absolutè verò, & vt sunt à parte rei dicere perfectionem simpliciter, & in omni genere infinitam: siquidem quælibet includit essentiam diuinam, in qua omnes perfectiones, tam absolutæ, quàm respectiuæ formaliter continentur.

Vnde si quis dicat, diuinas relationes veluti distingui specie, quæ autem specie distinguuntur non posse esse æqualis perfectionis: Respondetur id vt summum verum esse de iis, quæ ita distinguuntur inter se, vt nihil habeant commune per quod eiusmodi inæqualitas tollatur; cuius oppositum contingit in relationibus diuinis, propter summam identitatem quam habent cum essentia diuina.

CAPVT III.

De Personis diuinis in genere.

CONCLVSIO I.

RAtio personæ, eaque realis & positiua ponenda est in Deo.)Prior pars est de fide, vt patebit ex infrà dicendis de ternario personarum numero;est etiã nota lumine naturali, siue in Deo vna sit tantum persona siue plures, de quo postea :Probatur, nam cuicunque competit definitio, competit definitum, atqui definitio personæ Deo competit, ergo & persona Minor suadetur, siquidem persona, ex Boëtio, vulgò definitur, rationalis naturæ indiuidua substantia, seu vt aliqui clariùs explicant, substantia intellectualis, completa, singularis, & per se subsistens;hæc autem omnia reperiuntur in Deo vt per se notum est,cum ipse non sit accidens,sed substantia eáque intellectualis, non materialis,cõpleta,nõ incõpleta,vt anima rationalis;singularis, non vniuersalis?denique per se subsistẽs,nõ in alio, vt humanitas Christi quæ licèt sit

subsistantia singularis & indiuidua, nõ est tamẽ persona, quia non est per seipsã, sed in Verbo subsistit: cũ ergo in his consistat ratio personæ, dicendum est eiusmodi rationem Deo competere.

Vnde communiter à Theologis reprehenditur Laurentius Valla, quòd dixerit, nomen personæ non significare substantiam, sed qualitatem; eò quòd vna & eadem substantia dicitur gerere plures personas, ac proinde in Deo non magis esse personam, quam in brutis. Qua in re grauiter erraui prædictus grammaticus, cum frequenter apud Scriptores sacros, & interdum apud prophanos, persona sumatur pro substantia; licet non rarò qualitatem significet.

Nota, non requiri ad rationem personæ, quod ipsa substantia quæ est personata, non possit verè alteri personæ communicari, sed tantum quod quatenus vna personalitate affecta est, & iam constituitur in ratione personæ, non possit ab altera personalitate vlteriùs compleri, & terminari. Licet autem substantia quæ est in Patre, communicetur Filio, non tamen quatenus affecta est paternitate, adeóque, vt sic constituit personam Patris distinctam à persona Filij.

Posterior pars ostenditur, nam in pri-

mis Pater est persona realiter distincta à persona Filij, ergo per aliquid reale, non per essentiam, ergo per ipsam personalitatem, & sic personalitas seu constitutiuum personæ est quid reale, non mera negatio Accedit quòd infrà ostendemus, personas diuinas, constitui per relationes, quas esse entia realia patet ex supradictis. Denique ex probabiliori Philosophorum sententia suppositum in creatis non consistit formaliter in negatione, sed est positiua quædam entitas, seu modus realis naturæ superadditus. Idem autem est dicendum de persona, quæ nihil aliud est quàm suppositum naturæ intellectualis; Quòd si in creatis suppositalitas, seu personalitas est aliquid reale & positiuum, à fortiori idem concedendum est in diuinis.

Nota personam in diuinis à parte rei constitui per relationem, vt infrà dicetur, adeóque nomen personæ significare naturam diuinam affectam relatione, esto audito nomine personæ, nobis explicitè non obiiciatur personalitas vt relatiua, sed per modum cuiusdam formæ absolutæ, qua fit vt persona subsistat incommunicabiliter.

CONCLVSIO II. In Deo ponendæ sunt tres personæ.) Est de fide, vt

patet ex Scriptura, Conciliis,& Patribus: sufficiat autem illud notare ex Symbolo Athanasij, alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti;&illud ex Cõc.Later.relatum in cap.firmiter.Pater. Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia. Ratione idem ostenditur, supposita veritate fidei, quæ docet in Deo esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: cum enim inter se distinguantur realiter, non ratione essentiæ, quæ vnica omnium est, consequens est vt distinguantur ratione subsistentiarum, adeóque sint tria supposita realiter distincta. Rursus cum illa sint supposita naturæ intellectualis, sequitur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres personas realiter distinctas: eò quòd persona nihil aliud est quàm, naturæ intellectualis indiuidua substantia.

CONCLVSIO III. In Deo ponendæ sunt tres subsistentiæ relatiuæ, non autem aliqua absoluta, & communis tribus personis.) Prior pars probatur primò quia Concilia, & Patres in Deo admittunt tres subsistentias, eorum autem verba non possunt intelligi nisi de subsistentiis relatiuis, quia ea tantum in Deo multiplicantur, quæ habent oppositionem relatiuam.

Neque dicas tres subsistentias ibi sumi pro tribus subsistentibus. Nam hoc gratis admisso, sequitur dari tres subsistentias: si enim vna tantùm esset, tres personæ dicerentur vnus subsistens: sicut dicuntur vnus Deus, propter vnam Deitatem. Siquidem nomina concreta substantiua non multiplicantur, nisi multiplicata ratione formali quam significant.

Secundò, cùm persona & suppositum in Deo idem sint ex supradictis, tot in eo ponendæ sunt subsistentiæ quot personalitates: at hæ tres sunt, eæque relatiuæ, ergo & illæ. Confirmatur, nam Verbum per subsistentiam suam est vnitum humanitati, ea autem subsistentia non est absoluta, quia alioqui humanitas esset etiam vnita Patri, & Spiritui sancto, ergo est relatiua: cùmque non sit potior ratio, cur talis subsistentia habeat locum in vna Trinitatis persona, quàm in aliis, sequitur earum cuilibet assignandam esse suam subsistentiam relatiuam; atque ita in Deo esse tres subsistentias relatiuas.

Nota Augustinum quando lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait Deum ad se subsistere, agere de subsistentia, vt est modus per se existendi, independenter à subiecto sustentante; vt vel ex eo patet, quia colligit Deum non fore substantiam, si

ad

ad se non subsisteret : Hieronymum vero epist. 5. velle, vt taceantur tres hypostases, in sensu Arianorum, id est, tres essentiæ; nunc autem vsus inualuit, vt hypostasis pro subsistentia accipiatur, sicque in Deo poni debent tres hypostases.

Posterior pars suadetur, tum quia in Conciliis & Patribus subsistentia sumi solet pro hypostasi, & hæc pro persona; atqui in Deo suut tantum tres hypostases relatiuæ & tres petsonæ, neque cum illis admitti potest quædam hypostasis, aut persona, absoluta, & communis tribus personis; ergo neque etiam subsistentia absoluta, & communis. Tum quia apud Methaphysicos subsistentia sumitur pro aliquo modo substantiali, quo res habet formaliter, vt per se sit incommunicabiliter; at diuinæ naturæ vt præcisæ à subsistentiis relatiuis, non potest competere modus ille existendi incommunicabiliter; quia quidquid in ea sic spectata reperitur, est absolutum, & commune tribus personis tum denique quia Deus sufficienter subsistit per tres subsistentias relatiuas, quare alia est superflua.

Nota, quòd etsi Deus præcisis relationibus sit substãtia, adeóque ens per se existens, id est, nõ in alio inhæsiuè, nõ tamen est per se subsistens, ob rationes

adductas. Vnde negandum, subsistere absolutè esse modum subsistendi perfectissimum respectu Dei; imò cùm natura diuina postulet communicari tribus personis, de perfectione illius est, vt subsistat tantùm per tres subsistentias relatiuas, & quancumque subsistentiam absolutam excludat.

,, Dices 1. si natura diuina non subsistit, nisi per relationem: dici potest eam, id habere commune cum natura creata, vt non sit completa, secluſa personalitate. Verum etsi hoc aliquo sensu admittatur, illud semper discrimen erit inter naturas prædictas, quod diuina, cùm nõ distinguatur à personalite, habet complementum suum à seipsa: creata verò illud non habet, nisi ab extrinseco; quatenus à personalitate sua distinguitur.

,, Dices 2. Pater communicat Filio substantiam completam, quia aliàs Filius non esset completè Deus: at non communicat illi Paternitatem, ergo debet illi cõmunicare subsistentiam absolutã. Sequela patet, quia natura diuina non est completa sine subsistentia aliqua, siue relatiua, siue absoluta. Respondeo distinguendum esse inter tres istas propositiones. 1. Pater communicat Filio substantiam completam, vt sic. 2. Pater com-

municat Filio ſubſtantiam incompletam. 3. Pater communicat Filio ſubſtantiam, quæ completa eſt. Et quidem prima eſt falſa, quia ſignificat, Patrem communicare Filio paternitatem. Secunda etiam, quia ſignificat ſubſtantiam quæ communicatur, carere perſonalitate. At tertia vera eſt, quia ſubſtantia communicata, habet à parte rei ſuum complementum, cùm à paternitate non diſtinguatur: Vnde, vt liquet non ſequitur, Filium non eſſe completè Deum: accipit enim naturam, quæ non minùs eſt paternitas, quàm filiatio.

CONCLVSIO IV. In Deo eſt unica exiſtentia abſoluta, & tres relatiuæ.) Prior pars probatur, quia Deitas, vt concipitur prior relationibus, eſt eſſentialiter ens à ſe, & abſolutè neceſſariũ, ac proinde actu exiſtens: vt ſic autem non exiſtit per exiſtentias relatiuas, ſi quæ ſunt, quia hæ ſequuntur relationes ipſas: ergo exiſtit per exiſtentiam communem & abſolutam.

Poſterior pars oſtenditur primò, quia tot ſunt in Deo exiſtentiæ, quot entitates actu, exiſtere enim nihil aliud eſt quam eſſe ens actu. At Paternitas, Filiatio, & ſpiratio paſſiua ſunt tres entitates actu; eæque realiter diſtinctæ: ergo ſunt etiã

tres existentiæ, non quidem absolutæ, sed relatiuæ.

Secundò, in Deo sunt veræ, & reales duarum personarum productiones, quod autem producitur accipit esse actuale, seu existentiam, ita vt entitas actu existens sit terminus productus, quare cùm existentia communis non producatur, sicut neque essentia, sequitur productionē tendere ad dandam personæ productæ existentiam relatiuam, ratione à communi distinctam: alias nulla ibi concipi posset vera, & realis productio.

Nota 1. non esse absurdum ponere in Deo tres æternitates relatiuas: Athanasium verò cum ait in Symbolo, non tres æterni; sed vnus æternus, agere de tribus personis, vt sunt vnus Deus; & consequenter de immensitate æternitate, aliisque attributis communibus, quæ vnitatem diuinæ essentiæ consequuntur.

Nota 2. existentiam absolutam esse in Deo sufficientissimam, vt per illam formaliter existat quicquid in personis diuinis est absolutum, non tamen quod in iis est relatiuum: sed ad hoc requiri existentias relatiuas, vt inter constituens & constitutum sit proportio.

Nota 3. quòd si ex hypothesi impossibili, in Deo esset vna tantùm persona, ea

esset totaliter absoluta; adeóque posset completè existere, per existentiam absolutam. Nunc autem personæ diuinæ sunt relatiuæ; quare requirunt speciales existentias relatiuas, præter communem, quæ existunt vt sunt vnus Deus.

CONCLVSIO V. Ponendæ sunt in Deo quædam proprietates, quibus personæ constituantur, & ab inuicem distinguantur, quæque sint relatiuæ, non absolutæ.) Prima pars est certa, & communis contra Præpositiuũ & Ariminensem, qui alias temerè docuerunt, personas diuinas se totis immediatè constitui, & distingui. Probari autem potest 1. ex Conciliis, & Patribus in Trinitate vnitatem agnoscentibus secundum essentiam, & discretionem secundum proprietates personales, quibus consonat illud ab Ecclesia in præfat. Missæ de Trinit. decantatum. In personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.

Probatur 2. ratione, nam ex fide tres personæ sunt vnus Deus, quare sicut assignatur aliquid in quo conueniunt, nempe essentia, ita cum nonobstante illa vnitate, personæ sint plures, & realiter distinctæ, sequitur in qualibet persona præter essentiam communem, admittendam

esse specialem aliquam formalitatem, per quam intrinsecè constituatur in ratione talis personæ, & distinguatur ab alia: ea autem formalitas congruenter proprietas vocari solet, vt distinguatur ab aliis perfectionibus diuinis, quæ aut duabus, aut omnibus personis conueniunt.

Secunda pars est adeò certa, vt oppositum vix errore vacet. Nam de fide est personas in Deo multiplicari, & facere numerum: ergo debet etiam multiplicari principium constitutiuum, & distinctiuum personarum; at non multiplicantur proprietates absolutæ, cum hæ sint communes omnibus personis, sed tãtum relatiuæ; ergo dicendum est personas diuinas per proprietates relatiuas cõstitui, & distingui. Confirmatur, nam vna persona, vt sic, non potest constitui, per id quod competit alteri, quare cum absoluta æqualiter omnibus personis competant, sequitur constitutionem personæ diuinæ à proprietate relatiua petendam esse.

,, Dices 1. vna persona diuina per id constituitur, & distinguitur ab alia, per quod illius relationem terminat: at non terminat alterius relationem, secundum esse relatiuum, sed secundum absolutum,

vt colligitur ex Logica, ergo, &c Respondeo negando minorem, quia cum relatio diuina sit substantia perfectissima, & per se subsistens, ea non tantum est ratio referendi aut terminandi, sed etiam est id quod refertur ad aliud quodque oppositam relationem terminat; esto oppositum cõtingat in relatione accidentali.

„ Dices 2. si personæ constituerentur per aliquid relatiuum, paternitas constitueret primam personam : at hoc repugnat, quia persona supponitur constituta, antequam generet, adeóque antequam sit pater. Vt huic argumento fiat satis, moneo eandem formam relatiuam, cùm sit substantia infinitè perfecta, propter suam eminentiam, constituere Patrem in ratione subsistentis, & personæ ; dare illi potentiam generandi, & actualem generationem; eumque referre ad filium genitum.

Respondeo igitur primam personam constitui per paternitatem primo modo spectatam, seu quatenus habet rationem subsistentiæ: obiectionem autem procedere de paternitate vltimo modo spectata, seu vt est merus respectus Patris, ad Filium iam productum; qua ratione nimis clarum est, Patrem non posse, in ratione personæ, per paternitatem con-

„ Instabis, ergo Pater constituitur per aliquid absolutum, non per relatiuum. Non sequitur, quia cum Pater, antequam concipiatur generare actu sit, intrinsecè determinatus ad producendum Filium, refertur ad illum, vt in posteriori signo rationis ex necessitate producẽdum. Hoc autem sufficit, vt constituatur in esse personæ, per aliquid relatiuum.

„ Contrà, in eo priori signo rationis Filius non existit, ergo non refertur ad illum realiter: adeóque constituitur per aliquid absolutum. At neque id sequitur, quia vt relatio sit realis, sufficit quòd illius terminus eadem duratione reali existat, id est, tunc quando respicitur à suo correlatiuo: qua ratione Filius in diuinis, semper coexistit Patri, etsi ab eo procedat.

CONCLVSIO VI. Non omnes relationes diuinæ constituunt personas.) Ratio est, quia cum spiratio actiua sit cõmunis duabus personis, non potest vnam personam constituere. Vnde sequitur strictè loquendo tres tantum in Deo esse proprietates personales, paternitatem qua Pater, filiationem qua Filius, spirationem passiuam qua Spiritus sanctus constituitur.

Nota 1. quòd etsi spiratio actiua pro-

priè non constituat vllam personam, spectat tamen ad constitutionem intrinsecam Patris, & Filij, quatenus Pater non censetur adæquatè constitutus, nisi vt concipitur non modo intellectu, sed etiã voluntate fœcũda præditus, adeóque determinatus intrinsecè ad productionem Verbi, & Spiritus sancti. Filius etiam nõ est perfectè, & adæquatè Filius, habens eandem naturam Patris, quin etiam cõcipiatur habere intellectum, & voluntatem fœcundam Patris, ac proinde vt actu primo spirator, non secus ac Pater: Vnde talis ratio non aduenit Patri & Filio vt perfectè constitutis, sed potiùs pertinet ad eorum constitutionem adæquatè spectatam. Si tamen quæstio sit de ipsa actuali spiratione; ea, vt sic, neque vllam personam constituit, neque spectat ad earum constitutionem, sed veluti aduenit personis completè constitutis, vt ex dictis colligi potest.

Nota 2. personas non constitui formaliter per origines, seu per relationes spectatas per modum viæ & in fieri, quia scilicet personæ diuinæ sunt res per se subsistentes, & veluti in facto esse; quare fieri nequit vt constituantur per relationem spectatam per modum viæ, & in fieri, sed per modum formæ permanentis,

& in facto esse; quale enim est constitutum tale, & constituens esse debet.

Confirmatur, nam constituens non aliter aliud constituit, quàm seipsum illi exhibendo, quare non potest illud constituere, nisi eo modo quo est: si ergo personæ diuinæ per origines constituerentur, cum hæ se habeant per modum viæ sequeretur personas diuinas eodem modo se habere: hoc autem cum falsum sit, dicendum est personas diuinas non constitui per origines, vt sic, sed per relationes veluti in facto esse spectatas.

Dices, quando res aliqua duas habet formalitates, quarum altera constituitur, & distinguitur, constitutio debet fieri per priorem, eo quòd nihil prius alicui rei competit, quàm id per quod constituitur; atqui in diuinis prior est origo, seu relatio in fieri, quàm in facto esse, ergo, &c. Respondeo maiorem veram esse de priori formalitate; quæ habet cõditiones ad constitutionem necessarias qualis hic non reperitur; siquidem persona concipitur vt ens subsistens, & in facto esse, quod habere nequit per originem, vt patet ex dictis.

CAPVT IV.

De Persona Patris.

CONCLVSIO I.

PRimæ personæ Trinitatis propriè competit nomen principii.) Probatur, nam principium est id à quo aliquid procedit; at Filius & Spiritus sanctus procedũt à prima persona, itemque creaturæ, ergo est principium tam ad intra, quam ad extra. Est tamen discrimen, nam principium ad intra dicitur notionaliter, & competit soli Patri, respectu filij, vtrique verò respectu Spiritus sancti: ad extra autem dicitur essentialiter, estque commune tribus personis, quia creaturæ procedunt ab omnipotentia diuina, quæ vna est & eadem in omnibus personis.

Deinde principium ad extra coniunctum est cum efficientia & vera causalitate, talis verò causalitas non habet propriè locum inter personas diuinas: cum omnes sint eiusdem numero naturæ, & essentiæ: licèt interdum Patres

Græci dicant Patrem esse causam Filij, & Spiritus sancti, sumendo nomen causæ laté pro principio: vnde non deberet dici absolutè, quód Filius & Spiritus sanctus sint principiati, sed cum additamento; quod Filius sit principiatus à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque.

Rursus Ratio principij non dicitur vniuocè de notionali & essentiali, cum nihil detur commune vniuocum relatiuo, & absoluto: Licèt etiam Pater propriè dicatur principium totius creaturæ non tamen Deitatis, cum neque illam, neque se producat: quòd si Patres interdum aliter loquuntur, sensus est, Patrem esse à se, totamque diuinitatem ab eo alijs communicari personis.

CONCLVSIO II. Nomen Patris propriè conuenit primæ personæ Trinitatis.) Probatur, nam aliquid est proprium dupliciter, nempe vt distinguitur à communi & metaphorico; vtroque autem modo, ex fide, prima persona propriè est Pater; cum sola & verè Filium generet. Imò cùm illa generatio sit infinitè perfectior humana, eò quòd per illam producitur Filius infinitè perfectus, habens eandem numero naturam cum Patre,

nomen Patris multò perfectiùs competit primæ personæ Trinitatis respectu secundæ, quàm homini respectu sui filij.

Si tamen sermo sit de paternitate essentiali, qua Deus dicitur Pater creaturarum, ea neque est propria Patris, neque propriè omnibus personis competit, sed metaphoricè, & improptiè, cum aliqua tamen latitudine: quia enim in vera generatione, inuenitur vera similitudo inter producens & productum, quò creatura aliqua Deo est similior, eò magis propriè Deus dicitur Pater illius, verbi causa, Angelorum & hominum magis quàm irrationaliũ, iustorum magis quàm peccatorum, & beatorum magis quàm viatorum.

Nota, nomen Patris sumptum notionaliter tribus modis Deò priùs competere, quàm sumptum essentialiter, primò prioritate perfectionis, quia perfectius est esse Patrem propriè, quàm metaphoricè. Secundò prioritate rationis, nam in Deo naturalia sunt ratione priora liberis. Tertiò duratione. Pater enim ab æterno genuit Filium, Deus autem mundum produxit in tempore.

CONCLVSIO III. Nomen ingenti soli Patri propriè competit.) Pro-

batur, nam esse ingenitum hic accipitur pro non procedente ab alio quouis modo;at sic esse ingenitum est proprium solius Patris, cum Filius & Spiritus sanctus ab alio procedant,ipse verò sit à se. Deinde si in Deo essent duæ personæ ingenitæ, essent duo dij, cum vnica numero nrtura non possit reperiri in pluribus personis,nisi per processionem vnius ab alia. Quòd si qui Patres interdum negant Patrem esse ingenitum, ij loquuntur in sensu Arianorum,qui dicebant solum Patrem esse ingenitum, id est, non factum; vnde concludebant Filium & & Spiritum sanctum esse creaturas à Patre factas.

Vbi nota 1. rationem ingeniti non consistere in aliquo positiuo, illud enim esset aut quid absolutum, & sic omnes personæ essent ingenitæ,aut relatiuum,& ita plures essent in Deo relationes reales quàm quatuòr, quòd repugnat. Itaque esse ingenitum de formali dicit meram negationem, videlicet processionis ab alio, non tantum actualis, sed etiam possibilis.

Nota 2. fundamentum dictæ negationis in Patre non esse quid absolutum, propter rationem allatam, sed aliquam relationem in Patre existentem, quæ

alia esse nequit quàm paternitas; cum spiratio actiua sit communis Filio, & quinta relatio admitti non debeat.

CAPVT V.

De Persona Filij.

CONCLVSIO I.

RAtio Filij proprie conuenit alicui personæ diuinæ, & Verbum est nomen personale proprium Filij, dicitque respectum aliquem ad creaturas.) Prima pars probatur ex dictis, nam in Deo est proprie Pater, idque in ordine ad aliquam personam diuinam, ergo & Filius, iuxta illud primæ Ioan. 5. Vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius, hic est verus Filius; quod ita intellige, vt in Deo sit verus Filius ab æterno, sicut & verus Pater, vt colligitur ex verbis illis Symboli Niceni, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, hacque ratione suadetur, nam hæc filiatio dicit habitudinẽ ad principiũ generans per intellectum; sicut autem Pater est ab æterno,

& ab æterno intelligit, ita ab æterno producit Verbum, seu filium.

Secunda pars ostenditur contra Durandum, tum ex illo 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater Verbum, & Spiritus sanctus. Tum quia cum Filius procedat vt terminus intellectionis, dubitari non potest, quin procedat vt Verbum, idque ab æterno; cúmque talis processio nequeat competere Patri, vtpote improducto aut Spiritui sancto, eò quòd procedit per volũtatem, hinc fit vt propria ratio. Verbi soli Filio competat.

Interdum tamen contingit, sumpto nomine Verbi impropriè & metaphoricè, illud dici essentialiter, vt dum quæritur, quidnam beati videant in Verbo, id est, id ipsa essentia diuina, ex vi claræ visionis ipsius: ea enim non est proprie Verbum, sed per aliquam similitudinem, quatenus repræsentat creaturas, quas eminenter continet.

,, Contingit etiam aliquando, vt Spiritus sanctus dicatur de Verbũ Filij, quod intelligendum est verbo improprie, quatenus Filium nobis manifestat: sicut Verbum externum manifestat conceptum internum.

Nota, etsi intellectio in Deo sit essen-

tialis, verbum tamen esse notionale, quia significat terminum productum per intellectionem, & à persona producente realiter distinctum. Neque dicas etiam ipsam intellectionem procedere à persona intelligente, hoc enim verum non est, nisi secundum conceptum nostrum, cùm à parte rei in Deo intellectio à persona intelligente non distinguatur.

Tertia pars probatur, nam Verbum est expressa similitudo eorum quæ intelliguntur. At Pater æternus non solum se intelligit, sed etiam creaturas, ergo per intellectionem producit Verbum non tantum sui repræsentatiuum, sed etiam creaturarum, vnde oritur quædam habitudo repræsentantis ad obiectum repræsentatum, quæ est rationis: cum tamen relatio Verbi ad personam dicentē sit realis. Neque Verbum repræsentat tantum creaturas, sed etiam essentiam diuinam, & tres personas, cum hoc totum à Patre comprehendatur: & consequenter dicit respectum ad illa omnia, qui quidem respectus non est tantum rationis, quatenus Verbum repræsentat seipsum, & essentiam cum qua perfecte identificatur, sed etiam quatenus repræsentat Patrem, & Spiritum sanctum, eò quòd essentia diuina, quæ est Verbo ratio re-

præsentandi, ab illis personis non distinguitur.

CONCLVSIO II. Verbum diuinum procedit ex cognitione diuinæ essentiæ, omniumque personarum diuinarum. Prior pars probatur, nam Verbum ex vi suæ generationis, procedit vt simile Patri modo intelligibili, ergo procedit ex cognitione essentiæ Patris: siquidem Pater non dicitur producere sibi simile, modo intelligibili, nisi quatenus seipsum, adeóque suam substantiam intelligendo, producit sui similitudinem. Confirmatur, nam intellectionis paternæ primarium obiectum est essentia diuina, ergo Verbum diuinum debet saltem procedere ex cognitione illius: imò cùm Verbum sit infinitè perfectum in ratione Verbi, procedere debet ex cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ, adeóque ex cognitione omnium attributorum communium.

Secunda pars ostenditur ex iam dictis, nam Verbum procedit ex perfectissima comprehensione diuinæ essentiæ: Non potest ante cõprehendi diuinaessẽtia, nisi cognoscantur relationes personales, quæ aut sunt de essentia illius, aut vt minimum summè cum illa identificantur; quare Verbum procedit non tantum ex

cognitione diuinæ essentiæ, sed etiam omnium personarum.

Confirmatur nam cùm Verbum essentialiter producatur per intellectionem, profectò per eandem formaliter intellectionem qua producitur Verbum, Pater percipit eas omnes veritates, quas Verbum dicit & exprimit: at Verbum diuinum cùm sit infinitum in ratione Verbi, necessariò exprimit omnes veritates, eas saltem quæ habent absolutam necessitatem, quæque spectant ad Deum vnũ & trinũ, idque modo perfectissimo, nempè intuitiuè, & comprehensiuè; ergo Verbum diuinum postulat procedere formaliter ex intellectione qua Pater cognoscat, non tantum essentiam diuinam, sed etiam tres personas, idque intuitiuè, & comprehensiuè.

Nota 1. ex eò quòd Pater ex cognitione Verbi producat Verbum, non sequi quod Verbum simpliciter supponat seipsum, adeóque sit prius, & posterius seipso, sed tantum quòd secundum rationem sit prius in esse obiectiuo, quam in esse reali. Neque hinc colligas Verbum non procedere ex cognitione intuitiua suiipsius; Hoc enim falsum est, tum quia inter Patris cognitionem, & existé-

tiam Verbi, nulla intercedit prioritas durationis, tum quia, quamuis non simul existerent, satis esset ad cognitionem intuitiuam, quòd Patris cognitio terminaretur ad existentiam Verbi aliàs futuram. Quemadmodum vt Deus dicatur ab æterno videre futura intuitiue, sufficit quòd ea videat secundum realem existentiam quam aliquando habitura sunt.

Nota 2. neque hinc sequi Verbum procedere à seipso, quia quod procedit per intellectum, non procedit per omne obiectum intellectus, sed tantum per illud quod vnitur intellectui per modum principij actiui, ad producendam cum illo intellectionem: quo modo non vnitur Verbum ad productionem suipsius, cùm pro eo signo non existat, etsi videatur à Patre vt existens; non enim cognoscitur vt existens nisi pro sequenti signo. Vnde etiam patet, Verbum non posse dici imaginem sui ipsius, aut Spiritus sancti etsi ex vtriusque cognitione procedat.

„ Dices, imago Regis non pendet à Rege, secundum esse reale illius, sed tantum secundum esse intentionale, quod habet in mente pictoris. Similiter ergo vt Verbum sit Spiritus sancti imago, satis

erit quòd Pater intelligendo Spiritum ſanctum producat Verbum illius expreſſiuum. Reſpondeo non ſequi, ſiquidem Rex per ſui ſpeciem, receptam in mente pictoris, habet ſe veluti principium concurrens ad efformationem ſuæ imaginis: qua ſimili ratione non influit Spiritus ſanctus ad productionem Verbi.

CONCLVSIO III. Verbum diuinum procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium.) Hoc colligitur ex dictis. Nam Verbum diuinum per ſe procedit ex notitia comprehenſiua diuinæ eſſentiæ, ad quam requiritur comprehenſio potentiæ diuinæ, atque adeò rerum quæ ſub illam cadunt, ſeu quæ ſunt poſſibiles. Vnde hæc ratio concludit cognitionem rerum poſſibilium non tantum requiri materialiter ad productionem Verbi, ſed etiam formaliter: quia cùm Verbum ſit infinite perfectum in ratione Verbi, poſtulat procedere per cognitionem infinite perfectam, adeóque comprehenſiuam.

Nota 1. Verbum cùm ſit Deus, adeóque ens per eſſentiam, prius eſſe à parte rei rebus poſſibilibus: quia hæ non ſunt entia niſi per participationem: & ex eo quòd verbum producatur ex cognitione creaturarum poſſibilium, tantum ſequi,

quod iuxta nostrum imperfectum concipiendi modum sit illis posterius: sicut ob similem rationem est posterius, iuxta conceptum nostrum essentia diuina, cum qua tamen perfectè identificatur.

Nota 2. quòd si nulla creatura esset possibilis, Verbum quod ex hypothesi illa impossibili procederet à patre, non esset eiusdem rationis saltem adæquate, ac verbum iam existens: eò quòd non esset expressiuum creaturarum. Neque quod Verbum in dicto casu nullam creaturam vt possibilem repræsentaret, ex eo oriretur, quod pater intelligens indigeret creaturis tanquam obiecto motiuo, vt eas Verbo suo exprimeret, sed ex eo quód ipsa essentia diuina non potest mouere ad intelligendum vt possibile, id quod tale non est.

CONCLVSIO IV. Verbum diuinum non procedit ex cognitione creaturarum existentium.) probatur, nam Verbum secundum totam productionem suam, est ens absolutè necessarium; at non esset, si produceretur etiam ex notitia creaturarum aliquando existentium, vt sic: quia cùm talis notitia potuerit non esse in Deo, potuit Verbum non ex ea procedere; atque adeò quoad suam processionem aliqua ex parte mutari, quod

dici non poteſt. Confirmatur, nam cum productio Verbi ſit neceſſaria, ea eſt prior ſcientia viſionis, quæ eſt libera.

Nota 1. vt Deus ſe comprehendat, non requiri abſolutè quod cognoſcat futura: ſe enim perfectiſſime comprehenderet, etſi nihil decreuiſſet producere; ſufficit ergo quòd perfecte penetret ſuam potentiam, & quicquid per illam poteſt producere.

,, Dices, hoc verum abſolute, ex hypotheſi tamen quòd aliquid ſit futurum, Deus nequit perfecte ſe comprehendere, quin illud cognoſcat: adeóque Verbum debet procedere ex illius cognitione. Reſpondeo hoc poſterius non ſequi, quia prius eſt quòd Verbum generetur, quàm quòd res aliqua ſit futura, ex dictis.

Nota 2. Verbum non repræſentare futura actu, & formaliter ex vi ſuæ proceſſionis, ſed tantum remote, & veluti radicaliter; quatenus recipit ſcientiam infinite repræſentatiuam, quæque proinde ex ſe, ſine additione nouæ perfectionis repræſentat futura, ſtatim atque vi decreti futura ſunt. Ex dictis autem collige, Verbum non procedere ex cognitione futurorum ſub conditione.

quia eiusmodi cognitio simpliciter potuit non esse in Deo.

,, Nec refert quòd scientia conditionata non supponat decretum liberum, actu, in Deo existens, & ex eo capire nihil repugnare videatur, quo minùs possit concipi in Deo, in quocunque signo æternitatis, adeoque ante generationem Verbi, ad modum scientiæ naturalis, & necessariæ: aliunde enim supponit obiecti sui veritatem, quæ cum simpliciter sit contingens & poterit non esse; hinc fit. vt Verbi diuini generatio in illius cognitionem, etiam partialiter reduci non possit.

CAPVT. VI.

De Persona Spiritus sancti.

CONCLVSIO I.

SPiritus sanctus non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedit.) Est de fide contra Nestorianos, quos sequuti sunt communiter Græci, qui etsi fateantur Spiritum sanctum à Patre procedere, eumque esse vere. & proprie Deum, Patrique

trique ac Filio consubstantialem, negant tamen pertinacissimè eum procedere à filio. Probatur autem 1. ex cap.16.Ioan. vbi Christus promittit se missurum Spiritum sanctum, nulla enim persona diuina mittitur, nisi ab ea à qua procedit, vt fert communis sententia, de qua infra cap. 8.

Secundò idem definitum fuit in variis Conciliis generalibus Græcis, nempe in Ephesino, Cõstantinopolitano, aliisque sequentibus vsque ad Nicænum secundum, in quo Symbolum Nicæn. fuit approbatum, lectumque hoc modo, Qui ex Patre, filioque procedit, addita nimirum hac particula (Filioque,) etsi non satis constet inter authores, quo primum tempore illa particula Symbolo prædicto addita fuerit. Item in plerisque Latinis quibus Græci interfuerunt, & subscripserunt, nempe in Lateranensi sub Innoc. III. vbi statutum fuit Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere; Lugdunensi sub Gregorio X. vbi cantatum est Symbolum ter Græcè, & ter latinè, cum illa declaratione, ex Patre, Filioque procedit. Et in Florent. vbi idem quod in præcedentibus definitum fuit de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio.

Tertiò, Prædictis Concilijs possent subiici plerique Patres Græci, sed illud sufficiat ex Symbolo Athanasij, Spiritus Sanctus à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, quæ verba adeò sunt perspicua, vt Græci ea aliter eludere non potuerint, quam dicendo Athanasium fuisse ebrium quando ea scripsit, quod quam sobrie dictum sit nemo est qui non videat.

Probatur 4. ratione; nam Filius per generationem accipit eandem potentiam spiritualem Patris, ergo & actu cum illo spirat. Sequela videtur perspicua, tum quia intelligi non potest, quomodo vnica & simplicissima potentia exeat in actũ, prout est in Patre, & non prout est in Filio, aut quòd illius terminus ab vtroque non procedat. Antecedens autem ostenditur, nam cùm sit aliquis ordo inter operationes intellectus, & voluntatis, ita scilicet vt intellectus prius intelligat, & dicat Verbum, quam voluntas velit, & amorem producat: In eo priori Verbum accipit à Patre eandem essentiam, & eandem voluntatem fœcundam quam habet Pater, quæ proinde in vtroque est principium Spiritus sancti.

Accedit alia ratio. Nam si Spiritus

ſanctus à Filio non procederet, ab eo realiter non diſtingueretur, eò quòd inter illos non eſſet oppoſitio relatiua à qua ſola in diuinis poteſt ſumi realis diſtinctio: at Spiritus ſanctus realiter diſtinguitur à Filio, ergo ab illo procedit.

Verùm contra prædicta duo obiici poſſunt, primò Symbolo Nicæno non debuiſſe addi particulam: Filioque, tum quia in Concilio Epheſ. ſtrictè prohibetur, ne quis alteram fidem proferat, aut ſcribat, aut exponat, præter eam quæ definita fuit in Concilio Nicæno. Tum quia Leo III. qui vixit circa annum octingenteſimum, curauit poni Symbolum prædictum in tabula argentea, poſt altare Pauli Apoſtoli, ſine illo additamento, Filioque, quod tamen antea factum fuerat in Concilio Nicæno. 2. & in Toletano 8.

Reſpondeo Concilium Epheſ. prohibuiſſe, ne quis doceret aliquid repugnans Symbolo Nicæno, non autem ne quid à Poſterioribus Concilijs generalibus, aut à ſummis Pontificibus ei adderetur, maioris explicationis gratia, ſi res id poſtularet. Talis enim prohibitio fuiſſet nullius momenti, cùm par in parem non habeat imperium: neque verò Leo III. curauit Symbolum inſcribi ſine par-

ticula (Filioque) quòd putaret eam reiiciendam, sed potius in memoriam venerandæ antiquitatis, vt scilicet Symbolum illud conseruaretur, eo modo quo à dicto Concilio traditum fuerat.

,, Secundò obiici potest Damascenum, aliosque Patres Græcos affirmare Spiritum sanctum esse ex Patre per Filium. Respondeo eos qui sic loquuntur, non velle negare processionem Spiritus sancti à Filio, sed tantum innuere Patrem esse veluti primarium principium Spiritus sancti, Filium autem veluti secundarium; seu Patrem habere à seipso vim spirandi Spiritum sanctum' Filium verò à Patre. Vnde S. Thom. 1. p. q. 36. art. 3. Quia Filius, inquit habet à Patre quòd ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici quod Pater per Filium spirat Spiritum sanctum: vel quod Spiritus sanctus procedat à Patre, per Filium, quod idem est.

CONCLVSIO. II. Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, & simul tanquam à duobus suppositis.) Prima pars est de fide, fuitque definita in generali Concelio Lugdun. sub Greg. X. & refertur in cap. vnico de summa Trinitate, vbi damnantur, tum qui negant Spiritum sanctum æternaliter ex Patre & Filio procede-

re; tum qui asserunt Spiritum sanctum ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex vno procedere.

Probatur autem ratione, quia nomina substantiua non multiplicantur, nisi eorum forma multiplicetur. Vnde quia vna tantum est deitas in tribus personis, dicimus eas esse vnum Deum: & ita de aliis. Ergo similiter cùm in Patre, & Filio vnica sit potentia spiratiua, eademque actualis spiratio, hinc fit vt ambo nõ constituant duo Spiritus sancti principia, sed vnicum dumtaxat.

Vbi nota 1. quod etsi Pater & Filius non possint dici duo spiratores, propter rationem allatam, dicuntur tamen duo spirantes, vt notat S. Thomas 1. p. q. 36. art. 4. ad 7. quia vt adiectiua multiplicentur, sufficit multiplicatio suppositorum, etsi forma sit eadem. Vnde quando aliqui Patres aiunt, Spiritum sanctum de Patre, & Filio authoribus procedere, nomen (authoribus) adiectiue accipiendum est, pro, producentibus; seu spirantibus.

Nota 2. non posse dici, quòd Pater quatenus generat, & spirat, sit duo principia; tum quia est vnicum suppositum, tum quia forma est realiter vna, nempe

paternitas, & ſpiratio actiua: cúmque hæc eadem ſit in Filio, ſequitur Patrem generantem & Filium ſpirantem non eſſe duo principia, ſed vnicum, licèt diſtincta ſint ſuppoſita: quia ſcilicèt ad multiplicationem nominum ſubſtantiuorum requiritur multiplicatio formarum, & ſuppoſitorum.

,, Nota 3 quando dicimus vnum principium Spiritus ſancti duo ſupponi, vnum pro formali, nempe virtutem ſpiratiuam. aliud pro materiali, nempe ſuppoſitum habens talem virtutem, abſtrahendo ab hoc, quòd ſuppoſitum illud ſit vnum, vel plura. Quo fit vt cùm ſpiratum dicat vnum ſuppoſitum, conſtitutum ex eſſentia, & ſpiratione paſſiua; ſpirator dicat, non vnum ſuppoſitum, ſed vnum ſingulare conſtans ex eſſentia diuina & virtute ſpirariua ſibi identificante ſuppoſita Patris, & Filij.

Secunda pars oſtenditur, quia Spiritus ſanctus qui de facto exiſtit, ex ſua proprietate perſonali, & ratione intrinſeca exigit, vt ſit tertia perſona Trinitatis ab aliis diſtincta; quod non haberet, ſi non procederet ab vtraque: non enim ab alia realiter diſtingueretur, à qua non procederet, vt dictum eſt, vnde non eſſet eadem perſona quæ

nunc est, cùm repugnet eam personam quæ est Spiritus sanctus, & procedit tantum per voluntatem, distinguiturque realiter à Filio, esse eandem cum persona illa quæ procederet per intellectum, & voluntatem, quæque simul esset filius, & Spiritus sanctus, qualis ea esset quæ procederet à Patre, & non Filio.

Dices, si Spiritus sanctus per se procedit à Patre, & Filio, vt à duobus suppositis, sequitur Patrem vt Patrem, & Filium vt Filium producere Spiritum sanctum. Respondeo id verum esse de Patre & Filio specificatiuè, quatenus vterque verè concurrit per potentiam intrinsecam, ad productionem Spiritus sancti; non autem reduplicatiuè quia vox reduplicatiua significat rationem vltimò constitutiuam principij spiratiui quæ non est paternitas, aut filiatio, sed spiratio communis.

,, Ex dictis potest colligi, etsi virtus spiratiua, & spiratio actualis sint priùs origine in Patre, quam in Filio; Patrem tamen non priùs origine spirare, quam Filium, eò quòd principium spiratiuum adæquatè coalescit ex suppositis Patris, & Filij, vt ostensum est.

CONCLVSIO III. Nomina Spiritus ſancti,& amoris ſpecialiter tribuũtur tertiæ perſonæ Trinitatis.) Prima pars eſt ſancti Thomæ 1. p. q. 37.art. 1. vbi docet hoc nomen, Spiritus ſanctus, accommodatum eſſe ad ſignificandum diuinam perſonam,quæ procedit per modum amoris.Nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulſionem quandam, & motionem ſignificare videtur:eſt autem proprium amoris quòd moueat, aut impellat voluntatem amantis in amatum ſanctitas verò illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur: quia igitur tertia perſona Trinitatis procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus ſanctus nominatur, etſi alioqui Pater, & Filius ſint ſpiritus, & vterque ſanctus ſit.

Secundam partem tradit idem S. Doctor q.37.art. 1.vbi docet nomen amoris ſecundum quòd perſonaliter dicitur, eſſe proprium nomen Spiritus ſancti, ſicut Verbum eſt proprium nomen Filij: quod probat, nam proceſſio quæ eſt per voluntatem,in eo conuenit cum proceſſione quæ eſt per intellectum quod ſicut in iſta tria conſiderare poſſumus, ſcilicet habitudinem intellectus ad rem intellectam, habitudinem eiuſdem intellectus

ad id quod ab intellectu procedit, & tandem id quod per operationem intellectus procedit. Ita tria in illa consideranda sunt, nempe habitudo voluntatis ad rem amatam, habitudo eiusdem voluntatis amantis ad rem quæ per ipsam procedit, & res ipsa per talem actionem procedens. Est tamen discrimen inter dictas processiones, quia cum ea quæ est per intellectum, sit notior, adinuenta sunt nomina ad significanda illa tria quæ memorauimus. Primum enim vocatur intellectio, secundum dictio, tertium denique dicitur Verbum, In processione autem per voluntatem, suppetunt tantum nomina, quæ significant habitudinem amantis ad rem amatam, nempe diligere, & amare; reliqua autem duo, defectu vocabulorũ manẽt innominata, ideòque necessarium fuit eadem verba vsurpare ad ea significanda. Vnde diligere, & amor in diuinis dupliciter sumuntur, primò vt dicunt habitudinem amantis ad rem amatam, quomodo dicuntur essentialiter. Secundò vt significant habitudinem amantis ad id quod ex amore procedit, & ipsum etiam quod procedit, qua ratione dicuntur personaliter, sicque amor est proprium nomen Spiritus sancti.

CONCLVSIO IV. Si diligere accipiatur notionaliter, dici potest Patrem; & Filium se diligere Spiritu sancto.) probatur, nam diligere hoc modo sumptum duo respicit, nempe obiectum quod amatur, & terminum qui producitur; quemadmodum illuminatio respicit subiectum quod illuminatur, & terminum per eam productum; sicut ergo dici potest solem illustrare hæc inferiora, ea luce quam in iis producit; ita non incongruè dici potest, Patrem & Filium se diligere non tantum dilectione notionali, qua mutuò se amant, sed etiam ipso Spiritu sancto, qui per talem dilectionem producitur: ita vt sicut sol formaliter dicitur illuminans ab ipsa illuminatione, tanquã à forma talem denominationem conferente, & à luce in rebus illuminatis producta, tanquam à termino illuminationis: ita Pater & Filius formaliter dicũtur se diligere dilectione notionali, veluti forma inhærente, Spiritu autẽ sancto, tanquã termino talis dilectionis. Intelligere Verbo, quo dicimus Patrẽ, & Filiũ se amare Spiritu sancto, quia etsi Verbum non sit medium quo Pater se, & alia intelligit, est tamen terminus intrinsecè terminans intellectionem qua

omnia intelligit; hoc etiam habet peculiare, vt omnia obiecta à Patre cognita exprimat tanquam repræsentatio subsistens.

Nota 2. falsam esse propositionem illam, Pater est sapiens sapientiâ genita; quia participium sapiens, non denotat actionem aliquam, sed tantum sapientiam immanentem, & veluti habitualem, vt patet ex vsu loquendo: quare prædictæ propositionis sensus est, Patrem esse sapientem formaliter, & intrinsecè, per sapientiam genitam, quæ est persona ab eo realiter distincta.

CONCLVSIO V. Donum secundum quod personaliter sumitur, est propriũ nomẽ Spiritus sancti.) Ita S. Tho. 1.p.q.38.art.2 quod probat, quia secundum Philoph. Donum propriè est datio irreddibilis, id est, quod non datur intentione retributionis, & sic importat gratuitam donationem: ratio autem gratuitæ donationis est amor, ideò enim gratis damus alicui aliquid, quia volumus ei bonum; vnde amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita dantur: quare cum Spiritus sanctus procedat vt amor, procedit in ratione primi doni. Et in respõsione ad 1 nota, quòd sicut Filius, quia procedit per

modum Verbi, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis Patri: ita Spiritus sanctus quia à Patre Procedit vt amor, dicitur proprie donum, licet etiam Filius detur; hoc enim ipsum quòd Filius datur, est ex Patris amore iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Flium suum vnigenitum daret.

Vt hæc clariùs percipias. Nota 1. Donum esse rem alicuius, qui eam alteri liberaliter confert, aut conferre potest. 1. Dico rem alicuius, siue per subiectionem, quomodo creaturæ sunt Dei; siue per originem, quomodo Filius est Patris; siue per identitatem, quomodo quælibet persona est suiipsius. Dico 2. qui eam alteri liberaliter confert, sicut enim ad rationem doni requiritur res quæ detur, & persona donans; ita & persona cui res donetur liberaliter, & non ex debito, vel ex necessitate, aut intuitu compensationis. Dico 3. vel conferre potest, quia actualis donatio non est de essentia Doni, sed aptitudinalis duntaxat. Dicimus enim Regem habere multa dona, quæ conferat, etsi actu ea nondum donauerit.

Nota 2. defectu conditionum prædictarum, naturam diuinam non habere

propriam rationem Doni, respectu personarum diuinarum. Contra verò cùm Deus, & tota Trinitas seipsam liberaliter donet hominibus per cognitionem, & amorem, nihil impedire quominus esse Donum, sub eo respectu competat tribus personis, vt est donum dantis per identitatem: cumque Filius, & Spiritus sanctus à Patre procedant, & ab eo dati possint, hinc fit vt donum specialiter dicatur de Filio, & Spiritu sancto, vt est alterius dantis, non per identatém, sed per originem: cùm eo tamen discrimine quòd dari competat Spiritui sancto ratione suæ processionis, Filio autem ex amore Patris, vt dictum est.

CAPVT VII.

De notionibus Diuinis.

CONCLVSIO I.

POnendæ sunt in Deo notiones aliquæ, nimirum quinque illæ vulgares, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio actiua, & passiua, non autem plures.) Prima pars probatur contra Præpositiuum, &

Ariminensem; Notionis enim nomine intelligimus, non conceptũ formalem rei alicuius, sed obiectiuum, seu notã aliquã & formam, qua vna persona cognoscitur vt distincta ab alia: at personæ diuinæ habent tales formas, & proprietates, quibus realiter inter se distinguntur, & distinctæ cognoscuntur ex supradictis, ergo in diuinis sũt ponẽdæ notiones aliquæ.

Secunda pars probatur, nam in primis quòd paternitas, filiatio, & spiratio passiua sint notiones, tam certum est, quàm eas esse proprietates personales, quibus tres personæ constituuntur, & distinguntur: sicut enim eiusmodi proprietates personas constituunt, & distinguunt; ita etiam sunt nobis veluti notæ quædam, quibus vnam personam ab alia distinguimus. Rursus cum Pater non tantum referatur ad Filium, sed etiam ad Spiritũ sanctum, & non per paternitatem, hinc ponitur in illo spiratio actiua, simulque in Filio, quæ proinde est notitio per quã cognoscimus eos distingui à Spiritu sancto. Denique quia per quatuor relationes prædictas sufficienter nobis non innotescit ternarius personarum diuinarũ numerus, cùm nondum constet an Pater non sit ab alio, hinc communiter Theologi innascibilitatem, seu improducibili-

tatem tanquam propriã notionem primæ personæ, præter paternitatem constituunt.

Tertia pars ostenditur, quia prædictæ notiones sufficiunt vt personarum diuinarum dignitas, earumque distinctio nobis innotescat; quare aliæ admittendæ non sunt. Sequela patet, quia ex dictis notio nihil aliud est, quàm ratio quædam obiectiua qua vna persona diuina dignoscitur, vt distincta ab alia, vel ab aliis. Neque hac in re amplius immorandum est; solùm aduerte, ex illis quinque notionibus quatuor esse relationes, quatuor proprietates personæ, & tres tãtum proprietates personales, seu constituentes personas. Item paternitatem esse simul notionem, relationem, proprietatem personæ, & proprietatẽ personalem.

Nota 1. inspirabilitatem Filij non esse ponendam inter notiones, etsi innascibilitas sit notio Patris, siquidẽ ex eo quòd quis procedat vt Filius, satis constat eum non spirari; at ex eo quòd sit Pater, non constat an ab alio genitus non sit.

Nota 2. quòd etsi sit notio Patris, quòd non sit ab alio, non tamen est notio Spiritus sancti, quod nulla persona ab eo sit, non enim spectat ad dignitatem Spiritus sancti, quòd nullam personam producat.

CONCLVSIO II. In Deo sunt quidam actus notionales, à relationibus virtualiter distincti & in ipsis personis producentibus existentes.) Prima pars probatur, nam per actus notionales intelliguntur propriæ quædam vnius, vel duarum personarũ actiones, quibus persona aliqua producitur: at tales actiones sunt in Deo, cum Pater producat Verbum per viam intellectionis seu generationis, & vterque Spiritum sanctum per viam volitionis, seu spirationis.

Secunda pars ostenditur: priùs enim cõcipimus Patrẽ esse constitutum in ratione personæ, & subsistentis, quàm generet Filium, adeóque relationem per quã constituitur in ratione personæ, esse ratione priorem ipsa generatione actuali Filij, & consequenter ab ea ratione distingui. Contrà verò priùs est secundum intellectum, quòd Filius generetur, quàm quòd genitus sit, & constitutus per relationem filiationis: ex quo sequitur generationem passiuam distingui ratione ratiocinata ab illa ratione. Quod etiam, proportione seruata, dicendum est de origine passiua Spiritus sancti Confirmatur, nam intelligi non potest quòd vna persona verè, & realiter producat aliam, nisi inter vtramque aliquid mediet per

modum actionis, & productionis.

Dices, actio dicit imperfectionem, ergo non est ponenda in Deo. Respondeo, antecedens verum esse de actione communiter sumpta, quia hæc dicit motum, seu transitum de potentia ad actum, iunctaque est cum effectione, & causalitate, adeóque cum dependentia termini producti à principio producente; nihil tamen vetat quin detractis his imperfectionibus, ponatur actio in Deo, sicut in eo ponitur relatio, etsi hæc varias imperfectiones includat in creatis.

Tertia pars suadetur, nam Pater generat Verbum per intellectionem notionalem, atqui intellectio est in persona quæ intelligit: similiter quia Pater, & Filius per actum volitionis notionalis, spirant Spiritum sanctum, hinc spiratio actiuè sumpta in Patre, & Filio, non autem in Spiritu sancto esse debet. Confirmatur, nam Pater verbi causa, non esset summè simplex, actus purus, & infinitè perfectus, si Filium generaret per actum à se realiter distinctum, qualis esset si non in Patre ipso, sed in Filio reperiretur.

CONCLVSIO III. Actus notionales sunt aliquo sensu voluntarij, simpliciter tamen sunt necessarij, & non liberi, neque sunt de nihilo, sed de ali-

quo.) Prima pars patet, nam productiones personarum sunt à Deo volitæ, & amatæ per simplicem complacentiam, & eatenus dici possunt voluntariæ voluntate concomitante. Hæc autem vnica & eadem est in omnibus personis complacentia essentialis; quæ fertur in ipsas origines, & in totam Trinitatem vt à parte rei existit. Potest autem & alio modo processio Spiritus sancti dici voluntaria, quatenus nimirum voluntas se habet per modum principij respectu illius, vnde distinguitur à Verbi generatione, quæ est tantum voluntaria obiectiuè, seu per modum obiecti amati.

Secunda pars ostenditur, quia quòd absolutè non potest non esse, non est liberum, sed simpliciter necessarium; atqui actus notionales in Deo absolutè non non possunt non esse, ergo non sunt liberi, sed simpliciter necessarij. Maior patet ex vulgari notione libertatis, minor verò facilè probatur, supposito Trinitatis mysterio; Tam enim necessarium est esse actus notionales, quibus personæ producantur, quàm necessarium est tales personas existere, atqui absolutè necessariũ est, quod in Deo sint tres personæ quarũ vna sit improducta, aliæ productæ; aliàs personæ illæ possent non existere, adeó-

que non essent Deus, cùm actualis existentia sit de essentia Dei. Non ergo actus notionales in Deo sunt liberi, sed intrinsecè & naturali, eáque absolutissima necessitate necessarij.

Tertia denique pars ea ratione probatur, quia illud tantùm quòd creatur dicitur esse de nihilo; At Filius, & Spiritus sanctus non creantur, ergo non sunt de nihilo, sed producuntur de aliquo, nimirum de ipsa substantia Patris, quæ illis communicatur. Eo autem loquendi modo denotatur principium intrinsecũ personæ productæ, non quasi materiale, vt putat Durandus; quia materia se habet vt pars, & vt potentia passiua, quomodo essentia diuina nõ se habet respectu personæ productæ, sed potiùs quasi formale: quia res producta dicitur esse de substantia producentis, quatenus est illi similis in forma.

Nec refert quòd forma sit pars compositi, siquidem ex communi vsu, etiam natura dicitur forma, quatenus rem constituit in suo esse substantiali, & determinat ad talem speciem; quare cum substantia diuina sit natura Filij, qua constituitur in ratione Dei, & veluti determinatur ad tale esse, non incongruè dici potest forma illius, sicut & aliarum personarum.

CONCLVSIO IV. In Deo est vera potentia productiua notionalis, ad essentiam simul & relationem personæ productæ, alio & alio modo terminata.) Prima pars est communis contra Aureolum, qui non aliam intra Deum agnoscit potentiam generandi, vel spirandi, quàm solam non repugnantiam terminorum: probatur autem, quia vbi sunt personæ verè productæ, ibi est vera potentia productiua, at Filius verè producitur à Patre per generationem, & Spiritus sanctus ab vtroque per spirationem, ergo est in Deo vera potentia productiua ad intra, nempe potentia generandi, & spirandi.

Quo loco aduerte, quòd etsi sola persona producens sit principium quod productionis, principium tamen quo illius multiplex est, iuxta conceptum nostrum: ac primò ipsa natura diuina est virtus agendi omnium consensu, quia ratione illius persona producens est fœcunda, potestque se communicare ad intra, cùm producat personam sibi similem in natura. Rursus cùm essentia diuina non sit immediatè productiua ad intra, sed per intellectum, & voluntatem, vt supra diximus contra Durandum; Hinc, etsi illa sit principium quo, remotum vtriusque productionis, ipse tamen intellectus est

principium quo proximum generationis Filij, & voluntas productionis Spiritus ſancti. Præterea cùm tota vis productiua nequeat competere eſſentiæ, etiam vt intellectu & voluntate affectæ, quia alioqui omnes perſonæ haberent completè potentiam generatiuam, & ſpiratiuam, ea per relationem aliquatenus compleri debet; quod dupliciter intelligi poteſt, vel ita vt relatio ſit connotatum extrinſecum, ſeu veluti conditio ſine qua non, vel ita (quod qrobabilius videtur) vt relatio ſit comprincipium productiuum. Siquidem debet eſſe diſtinctio aliqua realis inter vim productiuam, & terminum productum, neque ſimpliciter admitti debet, potentiam generandi & ſpirandi eſſe in omnibus perſonis, ſecundũ totam ſuam perfectionem intrinſecam.

Secunda pars oſtenditur. Nam productio ſumi poteſt in Deo, vel vt productio, vel præcisè vt communicatio; ſi ſumatur poſteriori modo, clarum eſt eſſentiam diuinam eſſe terminum illius, quia hæc communicatur perſonæ productæ: ſi verò priori, relatio videtur eſſe terminus illius, eò quòd illa producitur, ſeu comproducitur.

Dices 1. Diuinæ productiones ad hoc tendunt, vt terminus totalis per eas pro-

ductus, sit Deus, ergo Deitas est terminus earum formalis. Non sequitur, quia non ad hoc tendunt, vt earum terminus sit Deus per productionem diuinitatis, sed tantum per illius communicationem.

Dices 2. generatio vniuoca, qualis est diuina, terminari debet ad formam in qua producens, & productum assimilantur. Distinguo: Debet ad eam terminari, siue vt productio, siue vt communicatio.

CAPVT VIII.

De æqualitate, & missione Personarum diuinarum.

CONCLVSIO I.

INter personas diuinas est perfecta æqualitas.) Est de fide, vt colligitur ex Symbolo Athanasij: vbi statuitur tres personas coæternas sibi esse, & coæquales, & in cap. firm. de summa Trinitate, habetur personas esse coæquales, coomnipotentes, & coæternas. Ratio autem est, quia ibi est summa æqualitas perfectionis, vbi eadem essentia Infinitè perfecta reperitur; atqui eadem essentia infinitè

perfecta est in tribus personis, ergo; tres personæ diuinæ sunt inter se summè æquales, quoad perfectionem. Suadetur minor 1. ex verbis illis Ioan. 10. Ego & Pater vnum sumus, quæ à sanctis Patribus vniuersaliter intelliguntur de vnitate quoad essentiam, seu substantiam diuinam, non autem de sola vnitate, seu concordia voluntatis, vt putabant Arriani. Verùm quia in verbis prædictis non agitur expressè de Spiritu sancto, addendum est illud ex 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt: hinc enim ex Patrum omnium sententia, efficax sumitur argumentum ad probandam diuinitatem, & consubstantialitatem Spiritus sancti.

Probatur eadem minor ex quinta Synodo generali, collatione 8. can. 1. his verbis. Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnam naturam siue substantiam, & vnam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam, talis anathema sit. Similia habentur in Concil. Tolet. 6. Canone 1. & in sanctis Patribus quorum verba, breuitatis causa, prætereo. Cùm itaque tres personæ Trinitatis ha-

beant eandem diuinam essentiam infinitè perfectam, consequens est summam perfectionis æqualitatem inter illas reperiri.

Non 1. generatim ea omnia loca Scripturæ quæ inferioritatem aliquam Filio tribuere videntur, vt plurimum intelligi de Filio secundum humanitatem: si quæ verò interdum à Patribus intelliguntur de Filio, vt est Deus, ea nihil aliud significare, quàm Filium habere à Patre substantiam diuinam, & virtutem operandi, Patrem autem à seipso, sicque Patrem esse superiorem seu maiorem Filio, quatenus est prior origine, & principium illius.

Nota 2. ibi non esse omnimodam æqualitatem, vbi est prius & posterius quoad durationem, aut quoad naturam, talem autem prioritatem non habere locum in Deo sed solam prioritatem originis, quæ cum tantum dicat vnam personam esse ab alia, nullam arguit imperfectionem: sicut enim est infinitæ perfectionis, esse principium processionis diuinæ, ita & esse terminum illius.

„ Si quæras, quomodo intelligi possit, personam producentem non esse priorem producta, quoad durationem, vel naturam. Respondeo hoc ea ratione posse intelligi,

intelligi, quia cùm persona diuina habeat ab æterno totam vim producendi, & necessariò producat, nihil impedire potuit, quin persona producta, esset ab æterno. Cumque communicet eandem naturam improductam, & independentem quam habet, hoc fit sine prioritate naturæ, quæ veram dependentiam, & causalitatem dicere solet. Vnde qui ponunt inter personas diuinas ordinem naturæ, explicandi sunt de ordine originis; qui ordo naturæ dicitur, quia in natura rei fundatus est, seu quia vna persona naturaliter est ab alia.

„ Dices, vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem, priùs dici non potest, quia quòd existit, non indiget vt producatur, cùm non producatur, nisi vt existat: posterius ergo verum est, ac proinde Filius non est æqualis Patri, quoad durationem. Respondeo Filium existentem gigni, non quidem ita vt existat antequam generetur, sed ita vt per ipsam generationem existat: ad eum modum quo lumen producitur existens, vi ipsius illuminationis qua producitur. Quod si instes, Filium non extitisse, antequam generaretur, atque adeò nõ semper fuisse; neganda erit consequentia, quia Filius semper genitus est, ac proinde Deo.

de ſemper extitit.

Nota 3. incluſionem illam, quæ communiter vocatur circumincesſio, eſſe impropriam, adeóque nihil ex ea concludi contra æqualitatem perſonarum. In eo enim maximè conſiſtit, quòd perſonæ diuinæ vnicam, & eandem habeant eſſentiam, ac proinde quælibet debeat eſſe in aliis, cùm nulla à ſua eſſentia poſſit ſeparari. Hinc autem potius ſequitur oppoſitum, nam ſi ideò Filius eſt minor Patre, quia eſt in illo; viciſſim Pater eſt minor Filio, cùm in illo ſit, vnde per reciprocum hunc exceſſum, perfectiones Patris, & Filij ita temperantur, vt ad ſummam æqualitatem peruenianr; quòd ſimiliter de perfectionibus Spiritus ſancti dicendum eſt.

CONCLVSIO II. Miſſio conuenit perſonis diuinis, non tamen omnibus.) Prima pars eſt de fide, vt patet ex Scriptura, Ioan. 3. Miſit Deus Filiũ ſuũ, & 15. Cùm venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre. Eadem probatur ratione, quia permiſſionem hîc intelligitur æterna proceſſio Perſonæ diuinæ, cũ habitudine ad effectum temporalem ſiue viſibilem, ſiue inuiſibilem. At Filius, & Spiritus ſanctus à Patre ab æterno proceſſerunt, & in tempore extra eum

veluti exierunt, ad externam manifestationem, vel collationem alicuius doni creati; quare ab eo missi sunt.

Dices, mitti ab alio dicere imperfectionem in persona missa. Respondeo, hoc verum esse, de missione quæ fit per imperium, vt cùm seruus mittitur à Domino suo; vel per consilium, vt cùm Rex à suis Consiliariis mittitur in bellum. Sic autem non fit missio personarum diuinarum, sed tantum per originem, cum ordine ad quendam effectum temporalem, in quo nulla est imperfectio.

Secunda pars ex dictis colligitur, nam cùm missio includat originem personæ missæ à mittente, consequens est vnam personam propriè non posse mitti, nisi ab ea à qua procedit: vnde Pater potest mittere Filium, & Spiritum sanctum, ipse verò à nemine mitti potest, quia à nullo procedit. Neque refert illud Isa. 48. de Christo intellectum, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius, ea enim verba, si loquuntur de propria missione, debent intelligi de missione Christi, ratione humanitatis.

CONCLVSIO III. Missio duplex est, visibilis, & inuisibilis.) Declaratur, nam tunc contingit missio visibilis, quando persona missa per si-

gnum aliquod sensibile nouo modo exteriùs apparet: eiusmodi fuit missio Verbi, quando humanitatem assumpsit, & missio Spiritus sancti quando in specie columbæ, & in linguis igneis apparuit: Missio autem inuisibilis habet locum, quandò persona mittitur ad dandum effectum aliquem occultum ordinis supernaturalis, qualis est gratia sanctificans.

Quo loco aduerte 1. in missione inuisibili, non tantum dona gratiæ, sed personas etiam ipsas mitti, vt patet ex Scriptura, quæ propriè intelligenda est, cùm nihil huic sensui repugnet. Confirmatur, quia rei missæ tribuuntur effectus varij, Ioan. 14. & 15. qui non possunt oriri ab ipsis donis creatis, sed à persona diuina duntaxat, vt docere, suggerere, testimonium perhibere, & similia. Neque refert quòd Spiritus sanctus non incipiat esse de nouo in anima quæ iustificatur, sufficit enim quòd si per impossibile in ea non esset, per suam realem præsentiam, in puncto iustificationis ei se realiter præsentem exhiberet.

Aduerte 2. missionem inuisibilem fieri ad omnes participes gratiæ, vt pa-

set ex dictis, vnde ad Christum facta est inuisibilis missio, in principio suæ conceptionis, non autem posteà, eò quod in eo instanti fuit repletus gratia, quæ nunquam deinceps aucta fuit; missio autem visibilis Spiritus sancti ad Christum in Iordane, non fuit signum inuisibilis tunc factæ, sed aliàs in puncto Incarnationis. Fit etiam missio inuisibilis ad omnes beatos, tum in ipso initio beatitudinis, quando ad perfectissimam summi boni possessionem, quæ arctissimam Spiritus sancti præsentiam, & cum illo vnionem comprehendit, euehuntur, Tum posteà quando aliqua mysteria illis de nouo reuelantur. Cæterùm missio inuisibilis non habebit locum in beatis, post diem iudicij; quia tunc eorum cognitio nullum augmentum recipiet, sed per totam æternitatem inuariata manebit.

Tandem missio inuisibilis facta est ad Patres veteris testamenti, cum gratiam sanctificantem, & eximiam charitatem acceperint, vt satis patet ex Scriptura. Fit etiam quotidie ad omnes homines, qui de nouo iustificantur; imò & probabiliter, ad eos qui augmentum gratiæ recipiunt, saltem quando hoc

augmentum tale est, vt quis proficiat in nouum aliquem actum, vel statum gratiæ, vt si ad gratiam miraculorum, vel Prophetiæ euehatur, aut si ex feruore charitatis exponat se martyrio. Verum hæc de missione tam visibili, quàm inuisibili generatim dicta sufficiant; nam quod spectat ad præstantissimam diuini Verbi visibilem missionem, quæ non ad repræsentandum instituta est, sicut visibilis missio Spiritus sancti, sed ad subsistendum in natura humana, de ea speciatim, in altera huius libri parte, deinceps agendum erit.

INDEX CAPITVM, SEV SECTIONVM, TRACTATVS DE TRINITATE.

Sect. I. *Totius Theologiæ Synopsis lectori studioso necessaria.* fol. 1.
Sect. II. *An Ecclesiæ, & saluti necessaria sit Theologia.* fol. 4.
Sect. III. *An sit sapientia.* fol. 8.
Sect. IV. *An sit scientia, & scientijs naturalibus præstet,* fol. 10.
Sect. V. *An sit speculatiua, & practica & subalterna.* fol. 16.
Sect. VI. *De obiecto Theologiæ.* fol. 22.
Sect. vltima. *De locijs Theologicis,* fol. 24.

DISPVTATIO I.
DE DEO VNO.

Cap. I. *An Dei existentia probari possit.* fol. 28.
Cap. II. *Quid sit Deus.*
Sect. I. *An attributa diuina, sint de essentia Dei.* fol. 37.
Sect. II. *De perfectione, & bonitate Dei.* fol. 45.
Sect. III. *De simplicitate Dei.* fol. 51.
Sect. IV. *De infinitate, & immensitate Dei.* fol. 56.
Sect. V. *De immutabilitate, & aeternitate Dei,* fol. 65.
Cap. III. *De visione Dei,*
Sect. I. *De possibilitate visionis Dei, & de lumine, ad eã requisito.* fol. 71.
Sect. II. *An possit errare intellectus cui gloriae lumen connaturale sit.* fo. 77.
Sect. III. *An possit dari, & de facto detur species aliqua impressa Dei.* fol. 80.
Sect. IV. *Quid de facto beati videant, & videre possint in Deo.* fol. 84.
Sect. V. *De imcomprehensibilitate Dei,*

& ineffabilitate eius. *fol.* 91.
Sect. VI. *De inæqualitate visionis.* *fol.* 96.
Cap. IV. *De scientia* Dei, *eiusque obiecto.*
Sect. I. *An detur in* Deo, *& quid cognoscat.* *fol.* 101.
Sect. II. *De modo quo* Deus *res cognoscit maximè contingentes.* *fol* 112.
Sect. III. *De Cohærentia scientiæ diuinæ, cum libertate & diuinis ideis.* *fol.* 122.
Sect. IV. *De scientia conditionata, seu media.* *fol.* 129.
Cap. V. *De voluntate diuinâ, & obiecto eius.*
Sect. I. *An sit in* Deo. *fol.* 139.
Sect. II. *De libertate voluntatis diuinæ.* *fol.* 150.
Sect. III. *Quomodo* Dei *voluntas non habeat causam, & sit rerum causa, nec voluntati humanæ necessitatem afferat.* *fol.* 163.
Sect. IV. *De diuina volitionis affectibus amicitia iustitia, misericordia.* *fol.* 170.
Sect. V. *De prouidentia* Diuina, *& prædestinatione physicâ.* *fol.* 183.
Sect. VI. *De prædestinatione.* *fol.* 200.
Sect. VII. *De electione, & reprobatione.* *fol.* 208.

DISPVTATIO secunda de Deo vt Trino.

Cap. I. De *processionibus diuinis.*
Sect. I. *An processiones Diuinæ, & Trinitas personarum cognosci possit.* fol. 230.
Sect. II. *Quæ, & quot sint processiones in Deo.* fol. 233.
Cap. II. *De relationibus diuinis,* fol. 248.
Cap. III. De *personis diuinis in genere.* fol. 260.
Cap. IV. De *Persona Patris.* fol. 275.
Cap. V. De *Persona Filij.* fol. 279.
Cap. VI. *De persona Spiritus sancti.* fol 288.
Cap. VII. *De notionibus Diuinis* fol. 301.
Cap. VIII. *De æqualitate, & missione Personarum & diuinarum.* fol. 310.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
430